

ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABREVIATUS.

Imprimatur
Mechliniæ, Martii 1829, *J. FORGEUR, Vic. Gen.*

ANTI-FEBRONIUS.

FEBRONIUS ABBREVIATUS

CUM NOTIS, ADVERSUS NEOTERICOS THEOLOGOS ET CANONISTAS, ETC.;

AUCTORE F. A. ZACCARIA,

SOCIETATIS JESU.

NOVA EDITIO, EMENDATA ET VITA AUCTORIS AUCTA.

TOMUS II.

ALMA COLLEGE
213.2
LIBRARY
2 12
Alma, California

BRUXELLIS,
APUD X. RENAUDIÈRE, EDITOREM.

LOVANII,
TYPIS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE.

MDCCCXXIX.

20191

JUSTINI FEBRONII

JURISCONSULTI

CAPUT IV.

DE CAUSSIS, QUÆ VULGO MAJORES VOCANTUR.

§ I.

De caussis majoribus in genere : quando et quomodo illæ sedi apostolicæ reservari cœperint ?

In Jure canonico aliæ caussæ majores non exprimuntur, quam sequentes. 1. Difficiliores fidei quæstiones. 2. Ineligibilium personarum postulationes ad prælaturas. 3. Confirmationes electionum ad easdem prælaturas. 4. Episcoporum cessiones sive resignationes. 5. Translationes episcoporum. 6. Sedium episcopalium erectiones, translationes, uniones. 7. Institutio novarum metropolium et sedium patriarchalium. 8. Episcopalium coadjutorum datio. 9. Episcoporum depositio. De his reservationibus ante seculum V non fuisse cogitatum, et sedi apostolicæ jure divino non competere, singulatim demonstrabitur, ac inde concluditur, ejusdem sedis primatum non esse *monarchicum*, nec ei alia, quam directiva illa c. 2. descripta jura competere, nisi speciatim ei ab Ecclesia attributa noscantur.

1. Antiquiorem *majorem caussarum* mentionem nescit auctor, quam in epist. Innocent. I ad Victric. Rothomag. anno 404. *Si majores caussæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, sicuti synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post episcopale judicium referantur.* Verum, verba, *vetus consuetudo*, apud probioris notæ scriptores, signanter apud Labbæum et Justellum non inveniuntur. *Post episcopale judicium* aperte denotat, illud in locis, ubi caussæ natæ sunt, huic relationi præmittendum esse. *Sicut synodus statuit:* hoc juxta P. Coustant non pertinet ad concilii Sardicensis canones, sed ad hujus concilii epistolam ad Julium P.

2. Eodem seculo V Leo P. epist. 12, ad Anastas. Thessalon. suum in Illyrico vicarium sibi reservat *majora negotia, et difficiliores caussarum exitus.* At ex toto epistolæ contextu patet, hìc solum agi de jure *patriarchali*, quod Papa tunc in Illyrico exercuit. Ex his Isidorus Mercator finxit decretales, majores caussas sedi apostolicæ *reservantes.*

3. Fictitiæ Isidori decretales, *majores caussas* summo Pontifici reservantes indicatæ sunt c. 3, § 9, n. 2. Plures ex Blondello refert Böhmer.

4. Dum Joannes P. VIII, constituens Ansegisum, Senonensem archiepiscopum suum per Gallias et Germaniam vicarium, majora negotia ad se referri voluit, responderunt episcopi, se obedituros apostolicis mandatis, *servato singulis me-*

tropolitanis jure privilegii secundum sanctos canones, et juxta decreta sedis Rom. Pontificum ex iisdem canonibus promulgata. Cumque Imperator et legatus urgerent, ut absolute responderent, nihil aliud extorqueri potuit. Sic episcopi observantiæ antiquæ adsueti, et jurium suorum tenaces contra vim Isidoriani juris subinde reclamabant.

5. Innocentius III, ad sustinendas reservationes caussarum majorum provocat ad Deut. c. 17, ubi in gravi difficultate ad summum sacerdotem, ejusque concilium recurrendum Dominus disposuit. Nemo non agnoscit, quam infirmo hæc fundamento nitantur. Hæc ad præcepta cæremonialia vel judicialia pertinent : textus loquitur de Synedrio Hierosolymis constituto : parum vel nihil concludit, quia quod dependet a mera Dei voluntate, a majori ad minus non habet locum.

6. Hæc autem non impediunt, quominus gravioris momenti negotia, quæ universæ Ecclesiæ vel unitati fidei præjudicium possunt afferre, non sine participatione primæ sedis definienda sint, prout c. 2. § 6. dictum est. Hoc sensu ad Afros rescripsit Innocent. I, epist. 29, *ut quidquid, quamvis de disjunctis, remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus* (romanæ) *sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate, quæ fuerit justa pronuntiatio firmaretur.* Et Bonifacius I, epist. 15, *maximas orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in qui-*

bus opus esset disceptatione majori, sedem semper consuluisse romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse.

7. Qua via et mediis majores caussæ romanæ sedi privative cesserint, refertur ex Gregorio Zallwein Princ. Jur. Eccles. tom. I, quæst. 4, c. 3; nempe Seculo II et III fiebant recursus, relationes et consultationes ad sedem romanam. Seculo IV, synodo Nicæno et Sardicensi statutum est, ut majores caussæ post judicium episcopale ad illam devolverentur. Seculo V et VI, Pontifices jam magis urgebant eas devolutiones : eodem tempore constituerunt vicarios cum mandato caussas majores referendi, inde auctoritas metropolitanorum et synodorum multum labefactata, et desiit frequentia synodorum provincialium. Seculo VIII emanavit collectio Isidoriana, ubi etiam depositio episcoporum Pontifici asseritur, contradicentibus Galliæ episcopis. Accessit integra ferme cessatio synodorum, frequentissimæ ipsorum episcoporum et Metropolitanorum ad sedem romanam provocationes, eorum ad sopiendas vel terminandas lites et controversias insufficientia, neglectio jurium suorum ab episcopis, legatorum tempore Nicolai I, ingenti cum auctoritate missorum frequentia, increscens Pontificum auctoritas.

NOTA.

Si jam seculo V, VI. et posthac de *reservatione caussarum majorum* mentio fit : igitur falsum est, quod hæc primum per falsas decretales longe posteriores introductæ fuerint, ut ait Febronius c. 3, § 9, item hoc loco et alibi sæpius. Dein hic aperte fatetur, jura primatus abs se c. 2 descripta tantum *directiva* esse, hinc patet, eum primatum *jurisdictionis* non admittere, quod doctrinæ catholicæ adversatur. Confer. c. 2, § 11 et 12, in not. etc. etc.

Ad 1. Si absit lis de nomine, tunc supra c. 2, § 6, item c. 3, § 7, a nobis et ipso Febronio multa exempla ex veteri Ecclesia prolata sunt, quæ ad sedem apostolicam referenda, imo etiam relata, ac ibi decisa ac judicata esse diximus : inter hæc autem plurima sunt, quæ vulgo *majores caussæ* vocantur, quamvis eo tempore passim hoc nomine appellari non solebant. Dum igitur Febronius modo asserit, ante Innocentium I nullam *caussarum majorum* mentionem fieri, id solum de nomine dici potest. Quin et Julius I., prout supra c. 3, § 7, diximus, jam prius *caussas majores antiqua apostolorum, eorumque successorum et canonum auctoritate sedis apostolicæ dispositioni* reservatas esse affirmat, ex quo etiam illa verba Innocentii *vetus consuetudo* explicavimus. Quod Innocentius veterem consuetudinem appellat, certo longiorem

retro temporis tractum indicat, Julius vero omnino ad apostolica tempora refert.

Ait Febronius, illa verba, *vetus consuetudo*, desiderari apud Labbæum, Justellum : attamen inveniuntur apud Harduinum, Antonium Augustinum, P. Coustant, in codicibus manuscriptis antiquissimis et probatissimis a P. Coustant laudatis, et Innocentius P. in cit. epistola ait, se *non nova*, sed tantum ea imperare, *quæ apostolica et Patrum traditione sunt constituta*. Igitur id etiam de relatione et reservatione caussarum majorum intelligendum erit, atque hoc solum adversarios convincere poterit.

Verba, *synodus statuit*, ait, non pertinere ad concilium Sardicense, sed ad hujus concilii epistolam ad Julium P. juxta P. Coustant. At Sirmondus, Gerbais, Ballerini et alii verba ista referunt ad concilium Nicænum vel Sardicense. Quidquid sit, synodum aliquam id præcepisse, negare non possumus, quin Innocentium P. de mendacio accusemus, qui tam aperte id affirmat.

Quod autem dicitur, *post judicium episcopale*, nihil officit reservationi caussarum majorum. Quare enim *post judicium episcopale* majores caussæ adhuc ad sedem apostolicam referri debent, nisi ut inde sententia et judicium exspectetur? hinc concluditur, judicium sedis apostolicæ judicio episcoporum et synodorum particularium ubivis in toto mundo superius esse. Possunt episcopi in caussas, harumque qualitatem inquirere, quæ si

graviores esse judicantur, referendæ sunt. Porro idem Innocentius I, cit. epist. c. 2, clare distinguit caussas *majores a minoribus*; de his dicit, *caussas vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, a congregatis ejusdem provinciæ episcopis terminari* debere, *nec alicui liceat, relictis his sacerdotibus ad alias convolare provincias, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui NB. in omnibus caussis debet reverentia custodiri.* Dein de caussis *majoribus* simpliciter dicit, eas *referendas* esse. Hæc si recte expendantur, Innocentius vult, in omnibus caussis, etiam *minoribus*, quæ secundum regulam in provinciis terminari debent, ac possunt, tamen adhuc dari appellationem ad sedem apostolicam, *majores* vero omnino referendas esse, adeoque in minoribus concedi adhuc appellationem post judicium in provincia, majores vero reservatas esse.

Ad 2. Igitur a Pontifice Romano tanquam patriarcha saltem caussas majores reservari posse concedis. Si ita, quare id denegatur Papæ tanquam primati universali divinitus constituto? an patriarchæ jure tantum ecclesiastico instituti ab Ecclesia majorem accepêre potestatem, quam Petrus, ejusque successores a Christo? num fors jura metropolitarum, episcoporum et synodorum provincialium minuslæduntur reservationibus patriarcharum quam primatis universalis? et hæc tibi solvenda restant. Cæterum, quamvis Illyricum ad patriarchatum occidentis pertineret, et S. Leo

ibi etiam de jure suo patriarchali agat, quando tamen de caussis *majoribus* sermonem habet, primatum a patriarchatu non distinguit, dumque anteriores Pontifices, aliique caussas majores undecunque etiam extra patriarchatum ad se deferendas, et primatui annexas voluerint, cur in hoc sensu S. Leo non etiam intelligendus sit? imo revera eum in hoc sensu ibidem loqui, monstravi c. 3, § 5, in not. ad num. 3.

Ad 3. Unde demum Isidorus suas decretales de reservatione caussarum majorum desumpserit, certum est, hanc reservationem jam in usu fuisse ante Isidorum, et niti saltem testimoniis quinti ac sexti seculi: Isidorus ergo necesse non habuit fingere, quod tribus aut quatuor seculis ante ipsum practicatum fuit, minus hujus rei auctor dici potest.

Ad 4. Unde constat, episcopos Ansegiso vicario apostolico ideo restitisse, quod jura metropolitanorum *in convocandis conciliis*, et *majoribus* etiam *caussis* in eis terminandis labefactarentur? Episcopi receperunt Ansegisum, promittentes se obedire Papæ apostolici mandatis: addiderunt quidem hanc clausulam, *servato singulis metropolitanis jure privilegii*. Hæc verba satis innuunt, ipsos hæc dixisse non de juribus *suo officio* inhærentibus, sed de certis singularibus *privilegiis* ac prærogativis. Et quomodo illa clausula *caussas majores* attinere poterat? scire debebant utique ii episcopi ex antiquis testimoniis et genuinis

decretalibus, *caussas majores* sedi apostolicæ reservari, nihilque hìc novum præcipi, quando jam Julius I, Innocentius I, Zosimus, Sixtus III, Leo I, Gelasius I, Bonifacius, Hilarius, Vigilius id edixerant. Alia igitur addendæ clausulæ caussa fuit, quam profert Christian. Lupus tom. XIII, de appellat. c. 33, ambitus nempe Hincmari episcopi Rhemensis, qui præcipuus in hoc conventu actor exstitit. *Eaque est item caussa*, ait ille, *cur Ansegisi episcopi Senonensis super Galliæ et Germaniæ ecclesias primatum, ac apostolicas vices semper contumacissime impugnavit. Nempe dominari in clero, et nemini subesse volebat, palamque ei proprius nepos, omnium secretorum ejus olim particeps Hincmarus Laudunensis episcopus, jam factus inimicus improperabat, quod dicere soleret, romanum episcopum non esse alium, quam unum e metropolitanis.* Dein Hincmarus pro Ecclesia Rhemensi a Nicolao P. privilegium impetravit, ut solius romani Pontificis *judicio reservetur*, et nullius, nisi *Romani Pontificis sententiæ teneatur adstrictus.* En! jus *privilegii*, quod episcopi et præcipue Hincmarus servari voluerunt, et quare hic Ansegiso noluerit subesse? nescio, quomodo Hincmarus, qui caput hujus conventus erat, reservationem caussarum majorum prudenter potuisset impugnare eo tempore, quo ipse reservationem et exemptionem suæ Ecclesiæ defendebat? Denique per vicariatum Ansegisi neutiquam metropolitanis jus congregandi synodos

ademptum fuit, sicut Leo M. Anastasio suo in Illyrico etiam vicario expresse præcipit, ut jura metropolitanorum *intemerata habeantur*, et tamen caussas majores ad se deduci vult. Perperam igitur Febronius omnia confundit, et nullo præeunte auctore, illam clausulam propter *caussas majores* additam fuisse tradit.

Ad 5. Reservatio caussarum majorum utique non præceptis judicialibus veteris legis innititur, sed primatui jurisdictionis in universam Ecclesiam a Christo instituto. Quod tamen a Deo semel statutum fuit, absurdum dici non debet, ut nec in exemplum trahi possit, ubi de contrario non constat. In hoc casu caput Deut. 17. esset argumentum a minori ad majus, a figura ad veritatem et rem figuratam, et isto argumento ex Deuter. 17 egregie etiam utitur, atque prosequitur D. Barthel opusc. 2. de jure reform. antiq. ad probandum, controversias fidei ad judicium summi Pontificis vel concilii generalis pertinere.

Ad 6. Si gravioris momenti negotia *sine participatione* sedis romanæ *definienda* non sunt, quod Febronius testimoniis duorum summ. Pontificum Innocentii I et Bonifacii I corroborat, utquid ergo negat, ea ad sedem apostolicam deferri debere? aut fors tantum referri debent, non tamen ab illa judicari, et eidem soli reservari? verum testes producti aliter loquuntur. Innocentius loc. cit. vult, nihil finiendum esse, antequam ad notitiam romanæ sedis pervenerit, ut *tota ejus auc-*

toritate justa pronuntiatio firmetur; quæ si bene intelligo, significant, totam auctoritatem sententiæ a romana sede sumendam esse : prosequitur Pontifex ibidem, *indeque sumerent cætera Ecclesiæ* (*velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent*) *quid præcipere, quid abluere deberent.* Sic non loqueretur Pontifex, si causæ solum ad ipsum referri deberent, ut notitiam haberet, quid ageretur, nisi etiam eas tota sua auctoritate decidere, et sententiam ferre posset. Hoc autem jus Pontificis non noviter institutum, non humana, sed divina auctoritate niti, distincte significant sequentia Innocentii verba l. cit. *Patrum instituta non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevêre sententia.* Confer. supra n. 1. Alter testis Bonifacius I est. Hic iterum Rom. Pontificem *in magnis negotiis* non merum auditorem aut consiliarium, sed privative summum et irretractabilem judicem in universa Ecclesia constituit. Postquam enim cit. epist. dixerat, ad Petrum pertinere universalis Ecclesiæ sollicitudinem, *quam, teste evangelio, in se noverit esse fundatam, summam rerum ex ejus deliberatione pendere*, ideo *animum suum usque ad orientis loca extendere*, dein quia episcopi Illyrici electionem Perigenis in episcopum Corinthiorum a se factam vellent discutere, id prohibens sub comminatione excommunicationis, addit : *nemo unquam apos-*

tolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis exstitit, nisi qui de se voluit judicari. Probat hoc etiam exemplis ecclesiarum orientalium : *sed quia res postulat,* inquit, *approbandum documentis est.* Profert in hunc finem exemplum Athanasii etc. Alicui Ecclesiæ episcopum dare propria auctoritate, eumque instituere, ad caussas majores pertinet; episcopos prohibere, ne se in hanc electionem immisceant, caussam discutiant, eosque ab hac institutione excludere, quid aliud, quam reservationem caussæ significat? hanc vero auctoritatem sibi competere, Bonifacius probat ex primatu universali, et exemplis anterioribus ex Ecclesia etiam orientali. Non igitur video, quomodo hæc duo Innocentii et Bonifacii testimonia in sensu Febronii intelligi possint, quin potius ejus systema funditus evertant.

Sic etiam Zosimus anno 417, tom. I, epist. RR. Pont. epist. 1 ad episcop. Galliæ sancit, omnia provinciarum negotia ad metropolitanum Arelatensem deferri, *nisi magnitudo caussæ etiam nostrum requirat examen.* Sixtus III, anno 435. epist. 8, sibi reservat caussas majores. Item epist. 10. De S. Leone jam supra constat, hic autem dicit epist. 5. *majores caussas* referri debere, *NB. ut nostra secundum ecclesiasticum morem sententia finiantur.* Et epist 6, idem. *Ut cognitioni nostræ pro traditione veteris instituti, et debita sedis apostolicæ reverentia nostra examini*

vindicemus. Sedit Leo anno 440; hinc illa verba, *secundum ecclesiasticum morem*, item *pro traditione veteris instituti*, tempora Innocentii I longe excurrant necesse est, atque cum *consuetudine veteri* ejusdem Innocentii concordant. Hilarius P. ad metropolitanos Galliæ epist 8, *in dirimendis sane gravioribus caussis, et quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur.* Vigilius epist. 7, *si qua vero certamina aut de religione fidei, — — aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, rationis ad nos seriem destinantes, apostolicæ sedi terminanda servate.* et epist. ad Euter. *ad Ecclesiam romanam tam summa episcoporum negotia et judicia, atque querelæ, quam et majores ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referendæ sunt, — — cunctarum majorum negotia caussarum eidem S. Sedi reservata esse liquet.* Ulteriora omittimus. Jam quis non rideat vel imperitiam vel malevolentiam eorum, qui dicunt, *reservationem majorum caussarum* per falsas Isidori decretales introductam fuisse, quando jam seculis IV, V et VI, de harum reservatione certissima et genuina testimonia prostant et exempla. Et quis non stupeat, imo irascatur audaciæ et insolentiæ illorum, qui *reservationes caussarum majorum* vocant *prætensiones*, *usurpationes*, quando integra series tot sanctorum et veterum Pontificum illas vindicavit et exercuit?

Ais : ante Innocentium I de his non fit mentio, et inde nondum probari, has reservationes ad jura primatus essentialia pertinere, sed fors a concilio Sardicensi aut aliunde ab Ecclesia reverentiæ sedis apostolicæ hoc datum fuisse. Verum, an non sufficit ætas Innocentii I, qui Petri cathedram ascendit anno 402, quique in hac re testatur de *veteri consuetudine*, atque in eadem epistola, ubi hæc enuntiat, ait, se *non nova præcepta dare*, sed *quæ apostolica et Patrum traditione sunt constituta*, et S. Leo vocat *traditionem veteris instituti*? num cum Innocentio I jus novum in Ecclesia cœpit? anteriora utique de omnibus caussis majoribus certa ac genuina testimonia non habemus, attamen facta et exempla monstrare possumus, quod tales caussæ ad sedem apostolicam delatæ, et judicatæ fuerint, uti in decursu hujus capitis videbimus, confer. etiam c. 2, § 6 in not. Certe si ab anno 402 testimonia tot sanctorum et summorum virorum pro stabilienda traditione non sufficiant, quid inde amplius certi habebimus?

Ad alterum respondeo : Patres jus relationum et caussarum majorum romanæ sedi asserunt, quia est caput ecclesiarum, et in honorem B. Petri apostoli. Sic Innocentius I ad concil. Milevit. congrue *apostolici consulitis honoris arcana*, —— *non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referri debere.* Idem epist. 37 ad Nucer. *Dilectionem tuam* — — *ad nos quasi ad caput,*

atque ad apicem episcopatus referre ut consulta videlicet sedes apostolica, ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet. Zosimus epist. ad episcop. Africæ. *Accedit apostolicæ sedis auctoritas, cui in honorem B. Petri Patrum decreta peculiarem quamdam sanxêre reverentiam.* Synodus Sardicens. synod. epist. ad Jul. P. *hoc optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes etc. etc.* Ratio igitur, cur ad Rom. Pontificem caussæ referantur, est honor et reverentia B. Petri, et sedis apostolicæ, adeoque primatus. Hæc autem reverentia estne solum arbitraria, vel debita ac necessaria? debitam et necessariam esse docet traditio. Sic idem Innocentius P. epist. ad episcopos in synodo Carthagin. congregatos ait, eos caussam et acta synodi ad apostolicum judicium retulisse, *scientes, quid apostolicæ sedi debeatur*, atque hoc *Patres non humana, sed divina decrevisse sententia.* Zosimus P. epist. 12 ad concilium Africanum in caussa Cœlestii, quæ utique *major* erat, postquam dixisset, quod *Patrum* traditio apostolicæ sedi tantam auctoritatem tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, et *ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exsolvat:* prosequitur; *tantum enim huic apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam ex ipsa quoque Christi Dei nostri*

promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret. Item infra : *cum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Ecclesia Romana.* S. Leo supra cit. epist. 6 ait, se majores caussas *pro traditione veteris instituti, et debita sedis reverentia* vindicare. Ex his sequitur, majora negotia ad Petri sedem referri debere, hanc reverentiam illi debitam esse, quia nititur tam humanis, quam divinis legibus; humanis nempe, quia *statutis Patrum* et *traditione*, divinis, quia illi hoc *decrevêre non humana sed divina sententia*, nempe *ex ipsa Christi Dei promissione.* Verbo : totum id Patres romanæ sedi non sua auctoritate tribuerunt, sed tantum traditionem sua sententia firmarunt; traditio autem nititur verbis et promissione Christi, quibus Petro primatum dedit, caputque Ecclesiæ constituit. Hoc sensu Bonifacius I caussarum majorum et ipse vindex epist. ad episcop. Thessal. dixit, quod nec ipsa *Nicæna synodus* super Romanam Ecclesiam *ausa sit aliquid constituere, cum videret nihil super meritum suum posse conferri, et omnia huic noverat Domini sermone concessa.*

Ergo caussæ majores ad sedem Petri referri debent propter primatum ipsi adhærentem, et hoc quidem non ex mero respectu politico et reverentia arbitraria, sed debita et fundata in potestate ab ipso Christo Domino D. Petro collata, quæ dein traditione atque statutis Patrum

firmata est, ideoque ad jura primatus originaria et essentialia pertinent. Plura dabimus de his caussis majoribus in specie.

Ad. 7. Admitto dicta, attamen cum limitatione et explicatione hactenus data. Gregorius Zallwein historice refert, qualiter non tam ipsæ reservationes, quam caussæ reservatæ increverint. Jam seculo II et III fiebant recursus et relationes ad sedem romanam. Bene : at inde etiam judicia et sententiæ emanarunt. Igitur jam primis seculis in caussis difficilioribus et magni momenti agnoscebatur necessitas recurrendi ad sedem apostolicam, atque in ea auctoritas judicandi, quod nostram comprobat sententiam. At rariores erant adhuc relationes et recursus? ita est, sed rariores etiam erant caussæ, sanctiores prælati cum plebibus, adhuc ubique in Ecclesia fervebat ardor fidei et caritatis : episcopi fere omnes sancti erant : Ecclesiæ persecutionibus premebantur, inter se pacem habebant : erant secula sancta. Dein non omnia, quæ his seculis gesta sunt, ad nos usque pervenerunt. Seculo IV concilium Nicænum, vel ut alii, Sardicense statuit, *caussas majores* ad sedem apostolicam deferri? sed Innocentius I ait, Patres *hoc non humana, sed divina decrevisse sententia.* Julius I et alii Pontifices dicunt, hoc jus Ecclesiæ Romanæ competere, *quia, instituente Domino, prima et caput est cæterarum,* quia in Petro accepit sollicitudinem universalem. Igitur jus caussas majores judicandi

ad jura primatus pertinet, et concilium Nicenum nihil novi statuit, sed quod traditione erat acceptum, sequendum et observandum esse stabilivit; alias quomodo orientales episcopi, quales in concilio Nicæno et Sardicensi fere omnes erant, in tantam auctoritatem longe dissiti, et occidentalis episcopi Romani tam cito et liberaliter consensissent?

Seculo V et VI, Pontifices relationes et devolutiones jamjam magis urgebant? Sed hujus ratio reddi potest. Invalescebant hæreses, quarum nonnunquam vel ipsi episcopi auctores erant, vel fautores: adde violentias patriarcharum et metropolitarum in vexandis, excommunicandis, deponendis et intrudendis episcopis, de quibus historia ecclesiastica passim referta est. Quero, qualis tunc Ecclesiæ facies futura fuisset, si Rom. Pontifices suam auctoritatem non interposuissent, violentus obstitissent? necessitas itaque cogebat, ut jus suum prosequerentur, relationes et devolutiones urgerent, atque multiplicatis caussis etiam latius se explicare debuit judicandi auctoritas. Hæc quoque ratio est, quare ad obviandum tot inordinationibus et perversitatibus in provinciis remotioribus vicarios apostolicos constituerint, et dum etiam ab his, caussas majores ad se referri, et sibi reservari vellent, veterem consuetudinem et traditionem secuti, hoc ipso ostendebant, hanc reservationem privative ad jus sui primatus pertinere. Ad has etiam et alias supra cap. 3, § 9,

allatas causas referri debet cessatio synodorum particularium, non in præpotentiam et usurpationem Pontificis, neque in falsas decretales. Quod si nihilominus in hujus cessationis causam negligentiam episcoporum addere velis, hoc ipso Pontifici onus imponis, per se ipsum providendi, et causas ad se trahendi : nullibi ergo de usurpatione reum accusabis, sed suo jure et munere fungentem asseres. Cæterum, hæc de causis majoribus tantum in genere hucusque dicta sunt, abstrahendo, quænam sint modo, et olim fuerint causæ majores.

§ II.

Causæ fidei non sunt reservatum summi Pontificis.

Singuli episcopi et particularia concilia habent jus damnandi hæreses.

Doctrinas a sede apostolica damnatas possunt concilia particularia ad examen vocare.

Qua causa, et quo fine graviores fidei quæstiones ad Rom. Pontificem referendæ sint?

Singuli apostoli damnabant errores enatos in Ecclesia. Hoc jus conservarunt episcopi apostolorum successores; hinc legimus, ab initio Ecclesiæ episcopos in nascentes errores, hæresesque sollicite inquisivisse, sua auctoritate confixisse, damnasse. Imo nullam pene hæresin per conci-

lia generalia primorum seculorum damnatam videmus, quæ non prius per episcopos particulariter, vel in synodis congregatos damnata fuisset. De hoc per octo aut novem secula non creditur dubitatum. At circa seculum decimum post receptas falsas decretales, et decretum Gratiani prætendi et doceri cœpit, caussas majores, præcipue fidei quæstiones ad sedem apostolicam referendas, et ejus judicio terminandas esse. Anno 1148 cardinales Romanæ Ecclesiæ ægre ferebant, episcopos Gallicanos in concilio Rhemensi symbolum fidei adversus Gilbertum Porretanum condidisse. Hæc persuasio S. Scripturæ, antiquitati, conciliis et observantiæ universalis Ecclesiæ contraria tempore Innocentii III tantopere invaluit, ut hic indubitate pronuntiaverit, *majores Ecclesiæ caussas, præcipue articulos fidei contingentes ad Petri sedem referendas esse.*

1. S. Paulus docet, episcopum esse debere *doctorem recte tractantem verbum veritatis, attendere doctrinæ, amplecti, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere, depositum custodire, devitantem profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis sententiæ, hæreticum hominem corrigere, et post unam, alteramve correctionem devitare.*

2. Leonis P. legati in concil. Chalcedon. act. 3 dixerunt, Eutychen *regulariter a proprio damnatum episcopo Flaviano.* Errores Godeschalci, Be-

rengarii, Abailardi et Lutheri primitus a variis episcopis et conciliis particularibus damnati sunt.

3. In decreto Gratiani multæ referuntur damnationes hæreticarum doctrinarum factæ in particularibus synodis : sæpe ab episcopis unius provinciæ damnatæ penitus exstinctæ sunt, cæteris episcopis consensu saltem tacito suffragantibus, ut constat de Eustathianis, Aërianis, Collydirianis.

4. Possunt concilia particularia suo examini subjicere doctrinas a sede apostolica definitas, et inquirere, num verbo Dei scripto vel non scripto conformes sint. Colligitur id inter cætera ex can. 109 de consecrat. dist. 4, ubi legitur, quod concilium Arelatense decisam a Papa Stephano quæstionem de baptismo contra Cyprianum suo examini subjecerit, et quodammodo aliter definierit.

5. Imo episcopi constitutiones Papæ etiam in *materia fidei* non debent acceptare, nisi cum deliberatione, maturitate et judicio : neque enim sunt simplices *executores Papæ*, qui nec dominus Ecclesiæ est, nec ab hac ut infallibilis agnoscitur.

6. Propterea tamen episcopi supra Pontificem se non efferunt, nec de ejus constitutionibus sibi sumunt judicium : judicant, uti debent, cognita prius causæ veritate et justitia. In summa judicant cum ipso Rom. Pontifice : nota est plurimum conciliorum formula : *ego judicans, ego consentiens subscripsi.*

7. Sævientibus persecutionibus, quando concilia generalia cogi non poterant, in casu controversiæ *fidei*, *schismatis* aut reformandæ communis *disciplinæ*, episcopi particulares synodos congregabant, harum conclusa Papæ transmittebant, qui cum omnibus totius mundi Ecclesiis communicans, ea ratione cunctorum colligens sententias commune faciebat conclusum, quod omnibus dein propalabat, ab his acceptandum, si illud canonibus et communi ecclesiarum sententiæ conforme visum fuisset, uti fecit Victor in caussa Paschatis, item in quæstione de lapsis circa materiam *disciplinæ*, pro exemplo *schismatis* servire potest caussa Novatiani contra Cornelium P., pro caussa *fidei* Paulus Samosatenus.

8. Sunt autem in his rebus *modi* circa fidei quæstiones : episcopi viciniores cum discretis atque omnium partium studio liberis hominibus doctis synodaliter, vel quasi desuper deliberent, correspondeant cum metropolitano, et comprovincialibus, nec non aliis sanctitate et doctrina conspicuis episcopis; audiant etiam desuper sentimenta suarum universitatum, præmonitarum tamen, ne quid nimis vel præcipitanter agant. Malum latius grassans referendum erit primæ sedi. Hæc studebit ad parcendum sumptibus, millequc incommodis rem sopire *extra concilium*. Damnabit propositiones, aut dissimulabit, sed *variante effectu*, prout res instituetur. Si primum

audiantur *sententiæ episcopales*, et collecto unanimi sensu, Papa suum publicet judicium, jam aderit efficax, et cuilibet sufficiens damnatio, licet non esset *ultimata*. Si vero *primum* Roma incipiat, et loco *collectarum sententiarum episcopalium* audiat *theologos* solum, Romanos, præventos sæpe homines, Thomistas, Scotistas, Jesuitas, calentes ad damnandum et crucifigendum, hisque solum auditis, definiat, tunc a Luthero usque huc experientia docuit, tantæ efficaciæ non esse fulmina apostolica : regerunt enim damnati dogmatis professores, *Papam sine concilio non esse inerrabilem, non constare de positivo assensu omnium ecclesiarum, a multis episcopis caussam nullatenus, a multis non nisi obiter discussam esse, plerosque tantum promulgasse bullam dogmaticam, ne displicerent Papæ, aut se suspectos facerent etc. etc.*

9. S. Augustinus circa controversiam de baptismo hæreticorum lib. 2 de Bapt. contra Donat. c. 4, ait : *quomodo potuit ista res, tantis altercationum nebulis involuta, ad plenarii concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus atque collationibus episcoporum pertractata constaret?* et lib. 5, c. 26, *si quid postea pluribus et diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmaverit, non ambigamus.* et l. 7, c. 53; *nobis tutum est, in ea non progredi aliqua te-*

meritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. Si hæc ante plenarii concilii definitionem requiruntur, quanto magis ante suam definitionem id præstare et attendere debet Rom. Pontifex.

10. Ideo etiam graviores fidei quæstiones ad Rom. Pontificem referri oportet, quia *ad statum universalis Ecclesiæ* pertinere possunt. Hac ratione Cyrillus Alexand. Nestorii hæresin ad Cœlestinum P. retulit epist. 8, quia *fides periclitatur, et longa ecclesiarum consuetudo suadet, ut hujusmodi res cum Sanctitate tua communicentur.* Ita etiam Avitus Vienn. epist. 36. *scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ maximum Sacerdotem, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus.* Et Justiniani Imp. epist. 3, Joan. P. n. 3. *Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, ut non vestræ innotescat Sanctitati, quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum.*

11. Per hoc dubia aut difficilis non redditur doctrina, quod aliqui eam impugnent. *Dubia* et *difficilia* vocantur in canonibus, quæ dubia sunt episcopis inter se, non quæ apud minores theologos ambiguntur. De quibus vero episcopi sine dubitatione inter se consentiunt, non habentur sic dubia, ut ante illorum sententiam ad Pontificem referenda sint.

12. Damnantur hæreses *a summo Pontifice, ab episcopis,* et catholicarum universitatum *theologicis facultatibus,* sed dispari effectu et robore. Academiarum censuræ *doctrinales* et *scholasticæ* vocantur : juridicæ e contra sunt, quæ ab iis emanant, quibus juris dicendi auctoritas pro portione a Deo vel Ecclesia data competit. Adversus publice constitutas auctoritates regulariter et *a privatis,* illud exceptionis genus, nempe hos omnes errare posse, admittendum non est, quia alias nulla incolumis esse poterit, si debitum eis honorem, pudoremque hoc telo concutere liceat.

13. An infallibiles solum episcopos audiri voluit Christus? an infallibiles solum episcopos posuit pastores et doctores, ut non simus fluctuantes in omni verbo doctrinæ? nullus hæreticus concilia episcopalia hoc solum nomine elusit, alias caussationes afferebant, vel obreptum episcopis, vel calumnias sibi impactas, quibus non particulares solum, sed generales etiam synodos ludificari solebant.

14. Non quærebatur olim, quænam episcoporum concilia errori obnoxia, quænam certæ veritatis essent. Boni omnia colebant, pastorum vocem venerabantur, ut eorum, de quibus dictum est, *qui vos audit, me audit.* Non scrutabantur, non dijudicabant privati, sed pie, humiliter, quiete judicium pastorum suscipiebant.

NOTA.

Singula fere verba sub incudem vocari merentur. Initio Ecclesiæ singuli episcopi particularibus decretis, vel per congregatas synodos errores et hæreses damnabant : ergo caussæ fidei non sunt reservatæ Pontifici. Ita argumentatur Febronius. Si ita est : quare nihilominus *graviores fidei quæstiones ad Rom. Pontificem referri oportet?* uti ipse ait mox num. 10 et quidem ex hac ratione, quia eæ *ad universalis Ecclesiæ statum pertinere possunt;* relationem vero eorum, quæ ad *Ecclesiæ statum* pertinent, Febronius c. 2, §. 6 ad genuina primatus jura refert. Quidni sunt igitur reservatæ Rom. Pontifici, et omni tempore harum quæstionum cognitio ad Papam spectabat? hæc sibi invicem non cohærent.

Scimus, apostolos, Spiritu sancto repletos, et in fide confirmatos omnes nascentes hæreses irretractabiliter damnasse : non negamus etiam, successores episcopos hæreses et errores pro jure suo damnasse, et damnare posse, quamvis per se non infallibiliter; nam quis dicit, omnes omnino hæreses et errores ad caussas majores reservatas pertinere? Gerson Febronio familiaris atque acceptus consid. 3 de exam. doctrin. tres caussas fidei distinguit. *Aliæ sunt doctrinæ palam hæreticales apud omnes, aliæ dubiæ simplicibus, sed manifestæ sapientibus et peritis : tertiæ velut neu-*

træ, habentes pro se doctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus, nec in una tantum diœcesi, vel paucis, sed apud omnes christianos, aut longe plurimos. Est ergo veritas, quod in primis et secundis auctoritas inferiorum prælatorum se extendit, et ad suos tantummodo. In tertiis vero nequaquam, quoniam merito dicuntur majores caussæ fidei propter difficultatem decisionis cum periculo scandali, ideo sunt ad sedem Ecclesiæ vel ad sedentem in ea summum Pontificem referendæ. Hìc etiam non agitur de primi et secundi generis caussis, quæ ad majores non pertinent; quippe apertas hæreses et errores configere, simplices dedocere, novitates in doctrina fidei et morum prohibere, pertinet ad jus singulorum episcoporum. At caussæ difficiliores *merito* dicuntur *majores*, et ad Rom. Pontificem referendæ sunt, quare? *propter difficultatem decisionis cum periculo scandali*, quod *periculum scandali* utique non subesset, si ipsi episcopi vel synodi provinciales facultate gauderent, has caussas infallibiliter decidendi. De his ait Cyrillus Alexand. epist. ad Cœlestin. 8. *ubi fides periclitatur. — — Scribo plane necessitate adactus.* De his ait Avit. Viennen. *synodalium legum esse, ut in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Rom. Ecclesiæ maximum sacerdotem, quasi ad caput nostrum recurramus.* De his ait Innocent. I, *quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes fratres et coepiscopos*

nostros non nisi ad Petrum — — referre debere. De his ait Vigilius P. epist. 7, *si qua vero certamina aut de religione fidei, — — aut de quolibet negotio, quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, apostolicæ sedi terminanda servate.*

Febronius tom. IV, pag. 198 concedit, in casu Gersonii, ubi *apud omnes* aut *longe plurimos* christianos quæstio controvertitur, utique adeundum esse *communem omnium judicem, et necessario* ad sedem apostolicam referri debere propter metum scissionis, si unius provinciæ episcopi cum aliorum præteritione quæstionem decidere præsumerent, hoc vero ad alios casus non debere extendi. Sed, quæso, si tanta est auctoritas Pontificis in *communi dubio*, ut totius provinciæ episcopi nihil decidere, et ad ipsum recurri debeat tanquam ad *communem omnium judicem*, num in quæstione minus *communi*, æque tamen periculosa aut difficili minorem auctoritatem habebit? quippe non in solo casu Gersonii, sed et in aliis potest adesse *difficultas decisionis cum periculo scandali*, quando etiam quæstio in una tantum provincia et regno ventilatur, nempe propter argumenta in utraque parte difficilia, tum ob potentes utrinque fautores, quia timendum est, ne illi judicio episcoporum se non submittant, vel ab episcopis error approbetur et veritas condemnetur.

Ait Febronius, *nullam plane hæresin per concilia generalia primorum seculorum damnatam videmus, quæ non prius per episcopos, vel particularibus decretis, vel per congregatos in episcopalibus synodis damnata fuisset.* Admitto, si fuerint primi vel secundi generis, quia de his non agitur. Et si sint tertii generis, quare adhuc opus erat damnatione in concilio generali, nisi quod damnationes episcoporum tantum privatæ erant, et ad funditus exstirpandum errorem non sufficiebant? non contendimus, quod episcopi et etiam synodi particulares non possint in difficiliores fidei controversias inquirere, discutere, vel etiam suam sententiam proferre, sed dicimus, tale judicium referendum, et nec ultimatum, nec firmum et satis validum esse sine concilio generali, vel judicio Pontificis. Hinc est, quod Patres concilii Carthaginensis et Milevitani damnationem Cœlestii ac Pelagii ad Innocentium I referrent, confirmationem petentes, *ut apostolicæ sedis adhiberetur auctoritas.* Sic etiam synodi provinciales, damnando aliquam hæresin, ut plurimum confirmationem suæ sententiæ a Rom. Pontifice petiêre *propter periculum scandali*, ut ait Gerson, nempe quia in suo judicio errare poterant, et revera multæ synodi erraverunt, hæresin approbantes, et veram fidem damnantes, tum quia alicujus particularis synodi sententia sine Pontificis auctoritate et judicio ab universa Ecclesia recepta non fuit : igitur controversia per ipsum terminari de-

bebat. At Febronius tom. II, Flor. spars. c. 4. n. 2, reponit, multas definitiones tribui Pontifici, quæ verius debentur *Ecclesiæ*, quia nempe Ecclesia consensit, qui unanimis consensus, juxta Bossuetum, est certissima regula, et in tali condemnatione *Ecclesia erit infallibilis*. Resp. hæc in sensu Febronii omnino falsa esse, quia Ecclesia dispersa, juxta ipsum, utique non est infallibilis, sed tantum congregata in concilio generali. Dein non ideo hæreses damnatæ fuerunt, quia consenserunt Ecclesiæ, sed vicissim ideo reliquæ Ecclesiæ doctrinam ut hæreticam habuerunt, quia damnata erat a sede apostolica, et damnatio præcessit, non subsecuta fuit consensum ecclesiarum; igitur consensus ille non ad judicium damnationis, sed ad ejus executionem pertinet.

Dicit ulterius Febronius, *de hac episcoporum auctoritate per octo et novem secula non fuisse dubitatum*. Resp. et hoc in sensu Febronii falsum esse. Quod episcopi possint in graviores fide quæstiones inquirere, in synodis discutere, et suam sententiam proferre, dubitatum non fuit, neque nunc dubitatur; sed quod possint finaliter decidere sine relatione vel confirmatione Papæ, tunc creditum non fuit. Ad quid enim tot relationes ad S. sedem titulo *necessitatis, veteris consuetudinis,* et *statuti synodulis* factæ? ad quid inde judicium et confirmatio exspectabatur, si episcopi per se potuerunt difficiliores quæstiones fidei decidere et terminare, nec earum judicium ul-

timatum Pontifici reservatum fuit? est et alia ratio, quæ evincit, hanc reservationem in quæstionibus fidei necessariam esse, nempe ipsa unitas fidei, pro qua conservanda primatus Petri et Romana Ecclesia tanquam centrum hujus unionis constituebantur. Quod si singuli episcopi causas fidei ultimato definire possunt, nec ad centrum referre debent, atque ab hoc normam suæ doctrinæ recipere, quomodo perstabit unitas fidei? eo ipso teste S. Cypriano epist. 55 ad Cornel. P. *ortæ sunt hæreses et schismata, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et judex vice Christi cogitatur.* Igitur a vero alienum est, de episcoporum auctoritate primis seculis non fuisse dubitatum, quando ipsi hanc relationem pro finiali decisione controversiæ necessariam esse putabant.

In vanum urget Febronius illa verba Innocentii I, *post judicium episcopale referantur*, et ad hoc recidunt etiam ea, quæ tom. III ex Petro Gibert affert. Jam sæpe diximus, posse episcopos in causas fidei controversas inquirere, discutere, et suam sententiam proferre, sed hæc erit tantum provisionalis respective ad suas diœceses particulares, nec firmitatem habet, sed pro ultima decisione ad sedem apostolicam referenda erit : et hoc probant omnia tum supra, tum cap. 2, § 6 allata exempla relationum et textus, qui necessitatem hujus relationis adstruunt.

Dicit iterum Febronius, circa seculum X,

post falsas decretales *prætendi et doceri cœpisse, quæstiones fidei referendas, et solius Romani Pontificis judicio reservatas esse.* At P. Innocentius I hoc jam *prætendit* epist. ad concil. Milevit. *quoties fidei ratio ventilatur, omnes coepiscopos non nisi ad Petrum referre debere.* Zosimus Papa in caussa Cœlestii et Pelagii, quæ utique fidem attingebat, non adquievit duobus conciliis Carthaginensibus, caussam ad se traxit petens, ut vel pleniora concilii acta mitterent, vel veniant, qui præsentem Cœlestium redarguant, dein ab episcopis Africanis plenius informatus caussam decidit, utrumque damnavit, quo facto, ait S. Prosper contra collator. c. 41. *Africanorum conciliorum decretis sententiæ suæ robur adnexuit, et ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum.* Bonifacius I epist. 15 *prætendit, in magnis negotiis in quibus opus esset disceptatione majore* semper sedem romanam consulendam esse : sed difficiles fidei quæstiones sunt talia negotia. *Prætendit* hoc Vigilius P. supra cit. epist. 7, *si qua certamina aut de religione fidei — — evenerint, — — relationis ad nos seriem destinantes, apostolicæ sedi terminanda servate. Prætendit* hoc Gregorius M. lib. 11, epist. 46, *si qua caussa vel fidei — — potuerit evenire, vel per eos, qui nostri sunt, vel fuerint in urbe regia responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, qua-*

tenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Item lib. 4, epist. 52, *si quam vero contentionem — — de fidei caussa evenire contigerit, — — examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat producere notionem.* Hoc *docuit* concilium Sardicense in epist. synodali ad Julium P. ubi fides Nicæna confirmata fuit, hoc *docuerunt* concil. Carthag. et Milevitan. ad Innocentium I, in caussa et hæresi Pelagii atque Cœlestii, hoc *docuit* Basilius in caussa hæresis Arii epist. ad Damasum P., Hieronymus epist. 10 ad eundem. Cyrillus Alex. epist. 8. Cœlest. P. et quot non alii in caussa fidei referentes aut consulentes romanam sedem etc. Hæc autem omnia ante seculum X et falsas decretales contigêre et scripta sunt. Qua igitur veritate Febronius ausus est dicere, *circa seculum X post falsas decretales prætendi et doceri cœpit etc.?*

Hinc patet etiam, quam minus vere dixerit Febronius, *graviores caussas, præsertim fidei solius sedis apostolicæ judicio terminandas esse, et ab harum cognitione episcopos excludi, hanc persuasionem S. scripturæ, toti antiquitati, conciliorum definitionibus et observantiæ universalis Ecclesiæ contrariam esse.* Jam supra diximus, et nemo prætendit, omnes omnino fidei causas reservatas esse, sed solum graviores et difficiliores; dein neque ab harum cognitione episcopos excludimus, et solum dicimus, ab iis terminandas non esse. Ipse Febronius hìc num. 2 fate-

tur, errores Gothescalchi in concilio Moguntino anno 848, Berengarii in synodo Turonensi anno 1055, Abailardi in synodo Senonensi anno 1140 et Lutheri a variis episcopis et conciliis particularibus primitus damnatas fuisse. Utique hæc omnia post falsas Isidori decretales contigêre. Quomodo ergo dici potest, post illas decretales omnes caussas fidei privative reservatas esse, et episcopos ab harum cognitione excludi? contradictio et falsitas simul patent.

At, inquit auctor, cardinales Romani episcopis Gallicanis anno 1148 responderunt, *nulli fas esse circa fidem quidquam determinare citra auctoritatem Rom. Pontificis.* Verum episcopi Gallicani symbolum fidei contra Gilbertum Porretanum condiderunt: novum symbolum fidei autem conficere utique prohibitum fuit in concilio Ephesino act. 6, can. 7. Symbolum quippe est regula fidei, quam toti Ecclesiæ præscribere non possunt synodi particulares; dum igitur episcopi Gallicani doctrinam errori contrariam in articulum et symbolum fidei evehere volebant, utique quæstionem finaliter terminare, et decidere præsumebant, hinc cardinales utique recte dicebant, hoc fas non esse sine auctoritate Rom. Pontificis.

Quando autem Innocentius III relationem caussarum majorum, præsertim articulorum fidei ad Petri sedem inde probat, quia pro eo Christus exoravit, ne deficiat fides ejus, per hoc significat, hanc reservationem caussarum fidei fun-

dari in primatu divino, et quidem optime. Hic enim constitutus est caput et centrum unitatis fidei : huic commissæ sunt universæ oves ad pascendum pabulo veræ fidei et doctrinæ : hic jussus est confirmare fratres coepiscopos in fide, non vicissim. Quid episcopi possint, et quam incertum sit depositum fidei in eorum sive singulorum, sive in synodo congregatorum manibus sine auctoritate Rom. Pontificis, a posteriori funestissima palam demonstrant tot conciliabula et judicia episcoporum Arianorum, semi-Arianorum, Donatistarum, Pelagianorum, Nestorianorum, Macedoniorum etc. etc. An igitur caussæ fidei non jure et necessario centro unitatis, capiti Ecclesiæ reservantur? *ad Romanam Ecclesiam*, ait S. Irenæus, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, non ipsa debet in caussis fidei ad alias vel singulas ecclesias recurrere, quasi diceret Irenæus, ait Petrus de Marca lib. 1 de concord. c. 2, *eam esse vim unitatis, quæ principium et originem a Petri sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem cæteris imponat.* Sic etiam Optat. Milevit. lib. 2, contra Parmen. ait, in urbe Roma a Petro primam cathedram esse collocatam, *in qua unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderet, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Per cathedram* hìc intelligi jus et magisterium fidei atque doctri-

næ, omnes norunt. Ex his habes rationem, quare caussæ fidei Romanæ sedi reservatæ sint, atque cum primatu cohæreant? si enim singuli episcopi et synodi provinciales possent finaliter caussas fidei decidere et terminare, non tenerentur Petrum, nec alios semper audire, sicque facile possent unitatem scindere, et cathedram contra cathedram erigere, quia errare possunt, atque fallibiles sunt.

Italus Febronio objicit litteras 85 episcoporum Galliæ ad Innocentium X anno 1653. qui testantur, *majores caussas ad sedem apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.* Febronius id negare non potest, at errare facit hos 85 episcopos et Ecclesiam Gallicanam, dicens, his derogantia esse acta cleri Gallicani de anno 1660. Puto, in re tanti momenti, episcopis totius regni Galliæ talem levitatem et inconstantiam absque injuria irrogari non posse; et revera tantam variationem non reperio. Febronius tom. IV, dissert. 5, c. 1, hæc acta cleri Gallicani refert cum glossis Gerbasii. Primo ait clerus Gallicanus, quod episcopi a Deo habeant potestatem super materias fidei, quæ sunt vel manifeste hæreticæ, vel controversæ inter sapientes: primi generis caussas spectare ad singulos episcopos, et ad solam executionem, quia jam sunt condemnatæ. Quis ista negat? secundi generis caussas agitandas esse in conciliis

provincialibus vel nationalibus. Neque hic obstrepitur. Dein ait clerus, ab his synodis relationem faciendam ad summum Pontificem, ut error apostolicæ sedis auctoritate condemnetur in universa Ecclesia. Recte etiam ista, sed nihil contra nos. Nam post discussionem synodi caussa difficilior adhuc referri debet ad sedem apostolicam, ut error ejus auctoritate condemnetur, neque ille sententia synodi terminatur, et hoc idem est, ac *post judicium episcopale referatur*. Addit Gerbasius, episcopos Gallicanos, ne Romani ex eo, quod absque prævia synodo provinciali caussam Jansenii ad Innocentium X retulerint, jus sibi aliquod arrogarent, addidisse hanc clausulam, *sive episcopi suam in actis relationis sententiam ponant, sive non ponant, prout illis collibuerit*, igitur hoc ipso prævia episcoporum sententia pro finali Rom. Pontificis decisione saltem non est necessaria, et caussa nihilominus referenda erit, sive suam sententiam ponant, sive non ponant. Jam ad ulteriora respondeo.

Ad 1. Hæc omnia S. Pauli monita atque præcepta officium episcopi insinuant, sed nullibi ei dant facultatem, novas et difficiliores fidei quæstiones se solo finaliter decidendi, nec relationem impugnant.

Ad 2. Hæc contra se ipsum scripsit Febronius : si judicium Flaviani proprii episcopi contra Eutychetem fuisset ultimatum et sufficiens ad damnandum in toto mundo errorem, nec amplius

summæ sedis auctoritate, nec concilio universali opus fuisset. Dein hæresis Eutychetis satis manifesta omnibus erat, atque in synodo Nicæna jam prædamnata. Synodus Chalcedonensis postea non tam ad condemnandam hæresin Eutychianam, quam ad latrocinium Ephesinum evertendum, turbasque sedandas convocata fuit. Cætera autem allata exempla, ut jam supra dixi, ostendunt, episcopos, etiam post Isidori decretales, quæstiones fidei examinasse, errores damnasse, quamvis non ultimata et finali sententia absque auctoritate Rom. Pontificis, ideoque falsum est, quod quæstiones fidei post illas decretales sic sint soli Papæ reservatæ, ut episcopi ab eorum cognitione *excludantur*. Imo potius necessarium est, ut episcopi prius caussas examinent et rite discutiant, ut genuinam de rei veritate relationem ad S. sedem dare possint.

Ad 3. Synodo Gangrensi Osius Cordubensis Rom. Pontificis in oriente legatus interfuit. Concilium Milevit. approbatum fuit ab Innocentio I, igitur in his synodis hæreses non sine auctoritate Papæ damnatæ sunt. Dein quid obstat, quod etiam quandoque episcopi et synodi particulares hæreses et errores apertos damnarint? de his nobis non est sermo, et hoc utique facere poterant, atque debebant. Nos tantum loquimur de caussis fidei difficilioribus, non manifestis hæresibus, quales etiam erant Aerianorum et Collyridianorum, de quibus loquitur Febronius. E

contra, Pontifices multas quæstiones fidei non apertas, sed multa difficultate involutas, nulla præeunte synodo, deciderunt et irrevocabiliter damnarunt, uti erant errores Cerdonis, Valentini, Theodati, Origenis, Apollinaris, Joviniani, Vigilantii et plurium aliorum, qui, post judicium Rom. Pontificis, non exspectato cæterarum ecclesiarum vel episcoporum consensu, statim pro hæreticis sunt habiti.

Dum Febronius reservationem caussarum fidei penitus abnegare non posset, tandem tom. III, pag. 62, et tom. IV, dissert. 5, c. 1, eam coarctare vel labefactare nititur verbis Gregorii M. l. 5, epist. 53. *Si qua inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos caussa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis, ventiletur atque decidatur : si autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostrum judicium deferatur.* His addit notam Maurianorum editorum. *Caussas fidei majores appellant, easque summo Pontifici reservandas contendunt nonnulli. Non ita censuit S. Gregorius, nisi forte in partibus decidi nequiverint præ nimia difficultate: certe non prius nisi inquisitione facta, et in partibus ventilata, discussaque veritate, ad sedem apostolicam referuntur.* At Febronius hoc modo nihilominus concedit, quod semper et præfracte negat, nempe Papam esse supremum et ultimatum judicem in caussis controversis, has etiam a synodis particularibus, si ibi terminari nequeant,

ad eum deferri debere, adeoque non esse merum directorem, sicut præses in collegio, qui se solo nihil decidere potest.

Interim loquitur Gregorius de caussis difficilioribus, et quæ in partibus ab episcopis terminari nequeunt. At sic loquuntur omnes Pontifices, caussas *difficiliores, majores, gravioris momenti,* non quaslibet, et manifestas reservatas esse.

Ait Gregorius, a duodecim episcopis prius ventilandas et decidendas esse. Ita est, si caussa non sit nimium difficilis et ardua, tale judicium episcopale locum habere, nemo negat, et si veritatem assequatur, res salva erit. At in caussis difficilioribus tale judicium episcopale necessario debere præcedere, nullibi præcipitur, et dum Gregorius hanc discussionem ad duodecim episcopos restringit, hoc ipso patet, hanc vel ordinationem vel indulgentiam ab ipso Rom. Pontifice tanquam supremo judice proficisci, atque hoc judicium per se ad synodum provincialem non pertinere, cum una provincia sæpe pauciores, sæpe plures, quam duodecim episcopos numeret. Imo hunc morem nec universalem, nec consuetum, minus necessarium tempore Gregorii M. fuisse, constat ex aliis locis hujus S. Pontificis, ubi, absque mentione prævii judicii episcopalis, caussas majores et fidei sibi expresse reservat. Sic ait lib. 3, epist 7 ad episcop. Lariss. *Si qua caussa vel fidei, criminis, vel pecuniaria— —potuerit evenire, vel per eos, qui nostri sunt— — responsales,*

si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Item lib. 5, epist. 54 ad universos regni Childerici episcopos. Item l. 4, epist. 52. *Si quam vero contentionem de fidei caussa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, et pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat producere notitiam.* Sic Gregorius difficiliores fidei caussas sibi reservat etiam sine judicio episcoporum, vel ad summum concedit, ut caussæ veritas diligenter ante relationem examinetur. Quod si illud judicium duodecim episcoporum necessarium esset, etiam his locis non tacuisset S. Papa. Hinc etiam patet responsio ad notam Maurianam, nempe judicium episcoporum in caussis fidei difficilioribus potest adesse, vel abesse, saltem non est necessarium, nisi quatenus ad relationem faciendam, et caussa nihilominus reservata erit. Episcopi Gallicani sine prævia synodo caussa Jansenii anno 1653 ad Innocentium X delata postmodum rescripserunt his verbis : *perspectum habemus, non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super episcoporum consultatione, divina atque summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obse-*

quium præstare tenentur, sive suam episcopi in consultatione sententiam ponant, sive non ponant. Ex his manifestum est. 1. Quod Gallicani præsules judicia Pontificum in materia fidei fundent in promissione Petro facta, ideoque in primatu, item in traditione et praxi. 2. Hæc judicia *divina* et *summa* auctoritate niti, et constituere *regulam fidei*. 3. Judicia episcoporum prævia non *esse necessaria, sive suam sententiam ponant, sive* non ponant. Hæc totum est, quod et nos dicimus, nec plura expetimus. Sunt igitur causæ fidei Rom. Pontifici reservatæ pro ultimata decisione jure primatus.

Ad 4 Febronius, testimonia veterum Pontificum adductus, Papam, quem alias merum directorem, nonnunquam præsidem aut conciliorum statuit, nihilominus in causis fidei finaliter judicem supremum admittere debet, ut tamen rursus ejus auctoritati quomodocunque detrahat, sedis apostolicæ definitiones synodorum particularium examini subjicit. Sed quibus examinare et judicare poterunt episcopi vel particulares synodi definitiones Rom. Pontificis, si prius neque causam, propter difficultatem quæstionis, dijudicare poterant? an eorum judicium post definitionem Papæ majoris erit ponderis et auctoritatis, quam ante? Dum Clemens XI se offensum ostenderet, quod in conventu cleri Gallicani quidam dixissent, Bullam *cœnam Domini* non obligare ante acceptationem corporis pastorum, et ex parte epis-

coporum hanc acceptationem fieri *per viam judicii*, episcopi Gallicani anno 1721 data ad Papam epistola declararunt, per id se non intelligere acceptationem, quæ sit *solemnis*, neque ut conventus velut *judex* constitutionem examinaret, sed ut conformitatem suæ doctrinæ cum apostolica significarent. Non igitur *via judicii* et *authentica approbationis*, sed solum *informationis* et instructionis in examinandis apostolicis definitionibus circa materiam fidei procedere possunt. Ex hac declaratione etiam patet, quid sentiendum sit de illa prætentione Gerbasii, nempe in acceptanda constitutione *non tam quidem deponi tam ab episcopis esse judicium personarum ac dignitatum.*

Ex concilio Arelatensi contra definitiones Pontificum nihil profert Febronius. Nam 1. Qualiter Stephanus P. definierit quæstionem de baptismo, non constat, quia ejus acta non amplius habemus, nec aliter, quam ex Cypriano ejus adversario nobis utcunque nota sunt. 2. Concilium Arelatense utique celebratum fuit auctoritate et præsentibus legatis Sylvestri P. Quis autem dicet, quamlibet synodum provincialem per se tantam habere auctoritatem, ac concilium auctoritate R. Pontificis celebratum et confirmatum? 3. Concilium Arelatense can. 8, sicut et Nicænum statuit, ut qui non servata debita forma Trinitatis baptizati sunt, rebaptizentur. At dum Stephanus P. ab hæresi venientes rebaptizari vetuit, ad tra-

ditionem provocans hanc regulam statuit : *nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Traditione autem tantum probatur baptisma administratum forma a Christo Domino imperata : igitur Stephanus solum rebaptizari vetuit ex traditione, qui secundum debitam formam nomine Trinitatis baptizati erant. Quare concilium Arelatense non aliter, vel alio sensu hanc quæstionem definivit, ac prius decidit Stephanus. Hinc S. Augustinus lib. 4 et 6, contra Donatist. ait, *Stephani decreto sartam servatam esse consuetudinem, ex apostolica traditione venientem, quæ etiam plenario totius orbis concilio confirmata est.* Vides, Augustinum testari, Stephani sententiam a concilio *non aliter definitam*, sed *confirmatam fuisse.* Neutiquam ergo *aliter* et *melius ;* sed solum clarius forsan caussam definivit concilium, quam Stephanus P.

Ad 5. Simile responsum est. Ad quid enim referre debent ad sedem apostolicam episcopi et concilia particularia? ad quid ista confirmationem a Papa petunt, et hac confirmatione summam auctoritatem obtinent? Thomassin. dissert. 9 in concil. Carthag. et Milevit. ait : *provinciales synodos ab apostolica sede confirmandas esse, et ubi confirmatæ fuerint, tunc in auctoritatis summum culmen eas recipi, nec posse ab eis citra hæreseos discrimen provocari.* Sic Hincmarus Rhemens. Rom. Pontificum nequaquam adulator, nec Febronio ullo modo suspectus lib. de divort. Lotharii dicit : *quibus omnibus demonstratur, quia*

synodus comprovincialium, episcoporum judicia, generalis autem synodus comprovincialium dijudicationes sive dissensiones vel probet, vel corrigat. Apostolica vero sedes et comprovincialium et generalium retractet, refricet, et confirmet judicia: sicut epistolæ Leonis atque Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum, et Sardicensis synodus evidenter demonstrant, et episcoporum recte judicantium confirmatur, et secus judicantium corrigitur. Si tanta est auctoritas primæ sedis supra synodos particulares (non dicam generales, de quo alibi) et illæ suam auctoritatem ab hac mutuent, quomodo definitiones apostolicæ eis subjici possunt? Imo etsi Papa non foret infallibilis in doctrina fidei et morum, tamen fatentibus etiam Gallis, ejus definitionibus obsequium præstari debet ab omnibus fidelibus. Qualiter ergo illæ deliberationes et judicia locum habeant? aliud est in materia disciplinæ, de qua loquitur Alexander III, epist. ad archiepiscop. Ravennat. At de hac non agimus.

Ad 6. Utique in sensu Febronii sic se efferrent episcopi supra Pontificem, quia judicarent in sententia sui superioris, et in caussa, quæ ad primatum pertinet. Inepte huc allegantur illæ formulæ, *judicant cum ipso Rom. Pontifice, ego judicans subscripsi.* Hæc pertinent ad concilium congregatum, ubi omnes in unum judicant, cui simul accedit auctoritas et confirmatio Pontificis: e contra, in hoc casu judicarent post judicium Papæ, vel potius ejus sententiam auctoritative

confirmarent, quod utique esset se efferre supra Pontificem.

Ad 7. Iterum Febronius Papam eo deprimere vult, ut vota aliorum colligat, et inde formet commune conclusum, omnibus promulgandum, quod præses in collegio, imo quivis scriba in magistratu civili facere potest. Ubi hoc testantur acta et testimonia veterum Pontificum? ubi dicunt, se vota cæterarum ecclesiarum collegisse, se proferre omnium sententiam? An non ubique propria auctoritate decidunt, definiunt, at decreta promulgant? Sed expendamus Febronii exempla. Caussa Paschatis ne quidem huc pertinet, quia hìc agitur de caussis fidei. Cæterum, ibi caussa vertebatur de traditione et consuetudine Ecclesiæ, de qua utique se recte prius informare debuit Pontifex, antequam illam in universalis Ecclesiæ legem evehere vellet. Verum Victor Papa non tantum per encyclicas informationem petebat, sed et ipse in oriente et occidente de hac re sua auctoritate synodos congregari præcepit, uti constat ex epistola Policratis ad eundem Victorem, et ex Beda de æquinoctio vernali: episcopi parent atque conveniunt: postea Victor decretum sancivit, ut in tota Ecclesia Pascha die Dominico post lunam 14 et vernale æquinoctium occurrente celebraretur, nequicquam obsistentibus Asiaticis episcopis. Hìc primatus et auctoritas Pontificis suprema penitus elucet. Collegerit Victor P. sententias aliarum ecclesiarum; hoc ne-

cessarium erat ad capiendam cognitionem communis traditionis aut consuetudinis : attamen ipse in Asia et Europa concilia celebrari sua auctoritate præcepit : dein quod prius tantum consuetudo fuit, non ubique observata, ipse in universalem Ecclesiæ legem erexit, sic ut renitentibus etiam excommunicationem minitaretur : hæc jurisdictionem et primatum loquuntur.

In *caussa lapsorum* Febronius nullum præsidium invenit. Cyprianus judicium romanæ sedis circa lapsos exquisivit, ex quo patet, in caussis difficilioribus etiam disciplinæ ad sedem romanam a maximis præsulibus quandoque recursum fuisse. Sede vacante respondit clerus romanus, de vita periclitantes prævia confessione recipiendos esse, de aliis exspectandum judicium Papæ. Cyprianus dein Carthagine synodum celebravit, atque desuper a Cornelio P. rogavit sententiam, qui decreto concilii Carthaginensis confirmavit, ex quo hæc disciplina passim ubique obtinuit. Hæc omnia pugnant pro auctoritate et ultimato judicio Pontificis.

In *caussa schismatis* de Novatiano non habeo, nisi quod a Cornelio P. in concilio Romano fuerit condemnatus et excommunicatus, quod dein, insinuante Cornelio, etiam a Cypriano Carthagine factum fuit. Præcessit, non subsequebatur judicium Pontificis.

In *caussa fidei* concilium Antiochenum proscripsit Paulum Samosatenum, et epistolam sy-

nodicam dedit ad Dionysium Rom. Pontificem, a cujus successore Felice I, Paulus pariter confixus est. Interim Patres Antiocheni non novum aliquod dogma definierunt, sed hæresis erat manifesta, nempe Christum esse purum hominem, non exstitisse ante Mariam virginem etc. Hinc mirum non est, Paulum ab omnibus ut hæreticum habitum, et damnatum fuisse, etsi Rom. Pontificis judicium non accessit. Sed ista ad quæstionem nostram non quadrant.

Ad 8. Jam admittit hìc Febronius, quod definitiones fidei a sede apostolica *valeant omnibus prodesse.* Verum quid magis proderint, si Papa non nisi sententias episcoporum audire, et dein facta forma conclusi, hoc iterum judicio et examini episcoporum subjicere debet? hæc potius ad cæremoniam et executionem pertinent, sicut dum scriba vel notarius, collectis senatorum suffragiis, conclusum format, illudque iis iterum ad examinandum proponit, utrum datis suffragiis conforme sit?

Ait utique, *si, collecto unanimi sensu, Papa suum publicet judicium.* Quæro, utrum Papa possit a collecto unanimi sensu, si ita sibi visum fuerit, recedere, vel non? si non? ergo ejus judicium nihil valet, quia debet secundum unanimen sensum, aut saltem majora judicare: si recedere potest: ergo tota definiendi et judicii auctoritas in ipso residet; et revera sæpe recessit, uti constat ex tot synodis etiam maximis a sede apostolica reprobatis et damnatis.

Præscribit dein modum auctor, quem in decidendis fidei quæstionibus Papa tenere debeat. Qui scit, quæ Romæ agantur, quam caute, mature, quanta cum deliberatione, inquisitione, studio etc. caussæ fidei tractentur, talem dictatorem non audiet. Teneat Roma modum, quem a seculis hucusque tenuit, et res salva erit, dum sub sævissimis persecutionibus, perniciosissimis temporibus et in intricatissimis quæstionibus fidem semper servavit, errores nunquam approbavit, aut veritatem condemnavit.

Sed quid *Thomistæ, Scotistæ, Jesuitæ, homines præventi et calentes ad damnandum et crucifigendum? hæc palam* invidia non carent, nempe, quia infausto Febronii systemati non favent: fuerunt tamen inter hos, ringentibus etiam adversariis, scientiis ac eruditione longe maximi et plurimi, de quo orbis testis, et monumenta adhuc prostant. Ipse Febronius tales calentes Patres in suo opere multo cum encomio citat, quando sibi propitios habet, quales si forent omnes et ubique, fors non tam ignominiose traduceret. Hac ipsa etiam de caussa Novatores iis offensi sunt; verum si eorum caussæ aliis committerentur, qui non minus eorum opinionibus ac erroribus adversarentur, etiam non minus contra istos erumperent, qui neque concilio œcumenico Tridentino ubi materiæ fidei accuratissime sunt discussæ, et ab episcopis judicatæ, se submittere volunt. Nulla igitur hæc est exceptio contra ro-

mana fulmina, sicut nec contra episcopos et concilia generalia, nisi velis, Romanos omnium errorum advocatos, et fatuitatis patronos esse debere. Sit interim modus definiendi a Febronio propositus ad præcludenda perversorum hominum effugia fors accommodatior, necessarius tamen non est, quia episcopi in relatione suam sententiam non necessario debent ponere; *sive ponant, sive non ponant*, aiunt Gallicani præsules: neque malitiæ et perversitati adversariorum semper cedendum est, ne nimia indulgentia audaciores faciat, quod in Donatistis expertus est Constantinus M. Tota igitur vis auctoritatis in judicio Romanæ sedis constituitur.

Ad 9. Etiam Romæ, antequam Pontifex in materia fidei aliquid definiat, fiunt diuturnæ inquisitiones, collationes, disputationes, congregationes, omnium SS. Patrum et theologorum scripta, quæ de proposita quæstione tractant, multo labore et industria pervolvuntur ac sedulo expenduntur tum a cardinalibus, episcopis atque theologis. Quid petis plura? hæc fieri debere ab episcopis? at consultationes, collationes, disputationes in quæstionibus fidei controversis ad viros doctos, legis sacræ et theologiæ peritos pertinent, sive dein episcopi sint, sive non. Tempore Augustini episcopi omnes erant legis peritissimi et doctissimi, hinc mirum non est, disputationes et collationes ab iisdem fuisse susceptas. Quod si dein nihilominus post istas collationes, dispu-

tationes in synodis suum judicium proferrent, nutabant tamen adhuc ista judicia, et satis firma non erant, nisi a generali concilio vel apostolica sede, ad quam pro ultimata decisione isti episcopi sæpe recurrebant, confirmarentur. *Quæstionis obscuritas — — magnos viros, et magna charitate præditos Patres episcopos ita inter se compulit salva pace disceptare et fluctuare, ut diu conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam, remotis dubitationibus, firmaretur.* Aug. lib. 1, de bapt. contra Donat. c. 7, § 9. Sic etiam idem S. Pater in caussa Pelagianorum non antea, quam duo concilia a sede apostolica confirmata, et ibi hæresis condemnata fuisset, dixit *caussam finitam esse.*

Ad 10. Hic non obscure admittit Febronius, relationes in caussis fidei ad sedem apostolicam necessario fieri deberi. Ergo sententiæ fidei ultimatæ ad jura episcoporum non spectant, quippe fides semper Ecclesiæ statum attinet, adeoque illæ sedi apostolicæ debentur, et jure sunt reservatæ.

Ad 11. Nobis utique tantum sermo est de difficilioribus fidei quæstionibus, non de iis, quæ per se firma, aut manifesta sunt.

Ad 12, 13 et 14. Hic non quæritur, quid a bonis et piis agendum sit, sed quid a malis agatur? exceptio fallibilitatis audiri non debet, sed tamen a pertinacibus opponitur, quamdiu

superius tribunal infallibile superest; unde causa nunquam finietur, nisi ad illud deferatur. Quod si judicium Pontificis in materia fidei etiam velis esse fallibile, pro controversia finienda, in sensu Febronii, semper necessarium erit concilium generale.

§ III.

Confirmatio electionis episcoporum genuino jure ad synodum provincialem, aut ad metropolitanum pertinet.

Eo etiam, data opportunitate, reduci posset.

Ad constitutionem episcopi aliud non requiritur, quam legitima assignatio diœcesis et consecratio. Episcopi Græci sunt veri episcopi, licet solum a patriarcha consecrationem aut confirmationem recipiant. In occidente confirmatio ante Alexandrum III ad synodum provincialem spectabat. Prius episcopi tantum electionem vel consecrationem suam jam factam significabant Papæ cum professione fidei et communionis petitione.

1. Juxta can. Nicæn. 4 et Laodicen. 13, confirmatio primis seculis tota erat penes episcopos ordinatores, id est, metropolitanum cum suffraganeis, sed quia metropolitanus non semper poterat adesse, tacito Ecclesiæ consensu jus discutiendæ electionis, eamque ut canonicam probandi vel reprobandi ad metropolitanum sensim

devolutum est, quod jus exprimitur a concilio Nicæno, Siricio et Innocentio I. PP.

2. Inde ab Alexandro III de episcoporum confirmatione a sede romano petenda frequens est mentio in jure canonico, nempe ad inducendam majorem episcoporum dependentiam, vel hoc post Isidori decretales potius toleratum est.

3. Hic consensus et tolerantia non ita jus antiquum et genuinum aboleverunt, ut illud opportuno tempore non possit reduci. Non fuit mutata, nec mutari potest rei substantia, alia solum superinducta politia. Observarunt quidam Galli quod notæ dissensiones inter Innocentium XI et Ludovicum XIV commodam occasionem præbere visæ sint præcidendi ingentem illam subordinationem, et obligationem petendi et obtinendi bullas Pontificias pro beneficiis consistorialibus: per hoc non solum immensæ pecuniarum summæ, quæ quotannis Romam mittuntur, in regnis et provinciis mansissent, sed etiam episcopi rediissent in sua jura, et uterque clerus fuisset emendatior.

NOTA.

Ut quis actu sit episcopus, requiritur assignatio diœcesecos et consecratio: verum ut quis in officium episcopatus assumatur, utique requiritur *idoneitas* non tantum jure naturali, sed et divino. Christus quidem homines inidoneos et rudes elegit, sed sub ejus magisterio *discipuli* erant,

nondum episcopi, et idoneos fecit ad exemplum, quales debeant esse animarum pastores et episcopi. Paulus Tito prohibet, ne cuiquam manus cito imponat, et varias dotes præscribit, quibus in episcopum eligendus munitus esse debeat.

Jam quæritur, cuinam *inquisitio* et *judicium* de hac *idoneitate* competat? primis seculis a metropolitano et comprovincialibus episcopis id factum, postea ad solum metropolitanum hoc jus devolutum esse, scimus. Sed utique hoc jus metropolitanis jure divino non debetur, sed solum ecclesiastico, cum et eorum officium jure divino non sit institutum.

Peto ulterius, quare jus consecrandi et confirmandi episcopos, seu de *idoneitate* judicandi non cuilibet episcopo vicino, sed metropolitæ et comprovincialibus concessum sit? nempe, quia magni momenti est, ut tot ovibus idoneus præponatur pastor, et *magnæ in statu Ecclesiæ perturbationes* fieri potuissent, si cuivis episcopo id permissum fuisset; ideo metropolitis injunctum fuit, quibus aliunde vigilantiæ cura supra episcopos alicujus provinciæ incumbebat. De tali perturbatione loquitur Siricius P. epist. 4 ad Anys. archiepisc. Thessal. *Ideo sollicite te agere oportet, ne ut factum est, certatim in una Ecclesia, dum ordinare præsumunt indignos veluti tres episcopos fecisse videantur.* Hinc ordinat Papa, ut sine consensu sui vicarii apostolici nullus episcopus ordinare præsumat.

Jam si ad bonum religionis tuendæ et conservandæ, atque *ad universæ Ecclesiæ statum attinet,* ut ubique boni pastores legitime præficiantur: si necessarium est, ut de eorum idoneitate et legitima promotione certum testimonium prius habeatur, ad quem illud jus magis et originarie spectabit, quam ad eum, cui jure non ecclesiastico, sed divino incumbit cura et superintendentia universalis Ecclesiæ, cui a Deo commissæ sunt omnes oves, et qui constitutus est pastor pastorum? igitur jus confirmandi episcopos originarie et primario ad primatum Petri pertinet, et merito inter caussas *majores* numeratur. Universim ad bonum alicujus communitatis et reipublicæ pertinet, ut ubivis idonei judices et magistratus præponantur, cujus rei cura ab eo dependet, cui totius reipublicæ cura commissa est. Dicat Febronius, penes quos fuerit hoc jus, antequam per concilium Nicænum metropolitis cum comprovincialibus distincto canone assertum fuit, imo antequam constituti erant in Ecclesia metropolitæ atque primates? utique dum religio per totum mundum diffusa fuit, et propter distantias locorum ad totius Ecclesiæ primatem difficilis, imo fere impossibilis esset ab omnibus ecclesiis recursus, ideo necessario propter bonum Ecclesiæ alia debuit introduci disciplina, ut in provinciis constituerentur primates inferiores, qui munus hoc exequerentur. Sed propterea non cessavit jus primigenium primatis universalis, sed

tantum participative ad illos descendit, quod constat ex eo, tum quia ipsi primates et metropolitæ quoad suum officium subordinati sunt Rom. Pontifici, tum quia Pontifex suam auctoritatem interponere debebat, quando electiones vel confirmationes metropolitanorum erant illegitimæ, aut alio vitio laborabant; hinc novimus Rom. Pontifices in veteri Ecclesia se sæpius in electiones et ordinationes episcoporum, et ipsorum etiam patriarcharum in Ecclesia orientali immiscuisse, eas reprobando vel approbando. Sunt igitur jura metropolitanorum quasi rivuli, ut verbis Patrum Africanorum utar, qui a natali fonte universalis primatus procedunt. Profecto si Ecclesia Christi in una tantum provincia aut regno, sicut olim synagoga, restricta fuisset, quis unquam dubitasset, ordinationes et confirmationes episcoporum ad pastorem universalem et summum Pontificem pertinere? quis de constituendis ad hoc munus metropolitis aut patriarchis cogitasset? necessitate igitur factum, ut dum summus Pontifex hoc officium ubivis per se exercere non posset, provida dispositione Ecclesiæ, utique illo non invito, inferiores primates constituerentur, qui illud administrarent. At propterea jus primigenium, ut dixi, in primatu non cessavit, neque in totum abdicare voluerunt, aut potuerunt Pontifices, utpote cum primatu et cura universalis Ecclesiæ jure divino connexum. Quid ergo obstat, quin Pontifex hoc jus iterum revocare, et sibi reservare possit, quando per ipsum exerceri valet?

Infirmum videtur argumentum illorum, qui jus confirmandi episcopos privative ad metropolitas pertinere ex eo concludunt, quod ipsi Pontifices, signanter Innocentius I, Leo I et Hilarius illud ipsis asseruerint, sartum, tectumque esse voluerint. Quasi vero dum summus princeps inferioribus magistratibus ampliorem tribuit potestatem, si dein eos in hac prærogativa defendat ac manuteneat, sibi per hoc et suis successoribus adimat facultatem illud jus amplius revocandi et restringendi. Ego potius ex his contra adversarios concludo, inde patere, quod Pontifices metropolitas juribus suis rite utentes, iis neutiquam vi aut fraude *spoliare, usurpare,* vel *injuste* ad se trahere voluerint, uti Febronius accusat, et si postea in hoc disciplina immutata sit, graves et rationabiles caussas adfuisse, inter quas a D. Barthel opusc. 4 de canon. episcop. constitut. numerantur studiosa metropolitanorum in confirmandis electionibus repugnantia, caussa dispensationis, electionum dissidia, ipsorummet episcoporum majoris honoris affectatio, conciliorum provincialium cessatio, principum secularium electionibus episcopalibus abutentium præpotentia et molitiones, quæ reservationibus Pontificum caussam et ansam præbuêre. Et ad quem jus istud recidere debebat, quam ad eum, in quo originarie jam præexistebat, nempe ad primatum?

Ait Febronius, *Græci sunt veri episcopi, licet solum a patriarcha consecrationem et confirmatio-*

nem recipiant. Verum hìc sibi male consuluit auctor : patriarcha Constantinopolitanus, non attento concilio Nicæno et jure ecclesiastico, quo jus consecrandi et confirmandi episcopos juxta Febronium metropolitis assertum fuit, tamen solus sibi hoc jus reservabat, solus ordinabat et confirmabat episcoposin suo patriarchatu, quamvis, teste Fleurio in instit. jur. ecclesiast. eidem 119, metropolitani et archiepiscopi subjecti fuerint, quorum nonnulli ultra 30 suffraganeos sub se habebant : ergo hoc jus metropolitanis de jure non ita competit, ut a superiori, nempe patriarcha reservari non possit, sicut revera sibi reservavit patriarcha Constantinopolitanus. Talem reservationem etiam patriarchæ Antiocheno non solum suadet, imo injungit Innocentius I, epist. 24 ad Alexandrum Antiochen. *Sicut metropolitanos*, ait, *auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu. Vicinos autem si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire.* Denique canonistæ passim docent, ad jura patriarcharum, sive sint apostolici, sive ecclesiastici, pertinere confirmationes et ordinationes episcoporum atque archiepiscoporum sibi subditorum. Fleur. loc. cit. de Motta lib. de jure metropol. Barthel annot. jur. can. tit. 33, § 4. Amort. vindic. jur. eccles. tom. III.

Thomassin. part. 2, l. 2, c. 8, n. 1. Quidni et Rom. Pontifex saltem ut patriarcha occidentis confirmationes episcoporum suo patriarchatui subditorum sibi reservare poterit? at peto ulterius: quo titulo jus illud competit patriarchis? si dicas, can. 6, concilii Nicæni id statutum fuisse, respondeo ego, ibi nihil novi *statutum*, sed tantum antiquam consuetudinem *confirmatam* esse, *antiqua consuetudo servetur*, ait concilium. Quippe Meletius huic canoni occasionem dedit, qui per varias Ægypti civitates diaconos, presbyteros et episcopos creavit sine Alexandrini episcopi consensu; Patres Nicæni huic malo remedium ferentes, Alexandrino aliisque patriarchis jura antiqua confirmarunt, edito hoc canone. Incidenter hìc noto, quod Meletius juxta Febronium potuisset obtendere *episcopatum universalem in solidum*, verum hæc lingua, hic sensus Patribus Nicænis erat ignotus. *Jus* ergo illud patriarcharum et *antiqua consuetudo* ordinandi et confirmandi episcopos nitebatur in *jure inspectionis*, *vigilantiæ* et *curæ* in episcopos et ecclesias sibi commissas, quam rationem affert, et idipsum confirmat cit. Innocentius I, epist. ad Alexand. Antiochenum, *quorum enim te maxima*, ait, *cura exspectat*, *præcipue tuum debent mereri judicium*. Verum hæc ipsa ratio evincit, hoc jus etiam principaliter et originarie penes eum residere, cui *cura universalis* omnium ecclesiarum incumbit, nempe apud universalem primatem, præcipue cum tanti

momenti res sit, quæ *statum universæ Ecclesiæ* attingat. Et quomodo tale jus Rom. Pontifici minime competat, qui tamen illud sæpius, stante controversia, dubio aut difficultate, tum in oriente quam occidente exercuit, et patriarchæ Antiocheno ejus reservationem ipse præscripsit?

Ex his patet, male asseri a Febronio, quod qualisqualis consensus et tolerantia antiquum metropolitanorum jus non ita aboleverint, ut illud non possit reduci, et appendic. 1, quod, teste D. Barthel, episcopi Germaniæ in gravaminibus Moguntinis anno 1440, de hoc conquesti fuerint.

Consensus et tolerantia magis ex parte Romani Pontificis fuit, et ut verbis Febronii utar, alia inducta politia ecclesiastica, non fuit mutata nec mutari potuit substantia rei, nempe jus reservandi confirmationes episcoporum in patriarcha apostolico et præcipue in primate totius Ecclesiæ, quod jus jam ante omnes canones præexistebat. D. Barthel vero hoc jus reservationis etiam ad jura patriarchalia reducit loco a Febronio cit., adeoque inane erat gravamen episcoporum et metropolitanorum Germaniæ, vel potius fuit gravamen contra *factum*, non contra *jus*, utpote quod Rom. Pontifici saltem ut patriarchæ competebat: cujus ponderis autem sint gravamina contra mere facta nemo nescit. Ut quid ergo tot clamores contra hanc reservationem, quando Romano Pontifici nihilominus tanquam patriarchæ debetur? quanquam eadem

ratio et caussa, ob quam primævis patriarchis jam competebat, eandem præprimis et maxime primati universali deberi plane convincit, atque non nisi ex fonte primatus Petri descendit. Quod observationem quorumdam Gallorum attinet, Pontifex in illis dissidiis certe hoc jus, sibi tanquam patriarchæ, et principaliter jure primatus debitum nec debuisset dimittere, nec ad dimittendum compelli potuisset, minus episcopi Galliæ eo tempore ullam habuissent caussam rumpendi hanc subordinationem, dum Pontifex contra extensionem regalium pro immunitate ecclesiastica fere solus pugnabat, quando, ut ait Innocentius XI, nec unus erat, qui se murum opposuisset pro defensione domus Israël. Sed et de pecunia, quæ ex Gallia Romam exportatur, dicam breviter. 1. Hæc notissima omnium novatorum, et romanæ sedis hostium cantilena est, quæ etiam hodiernas politicorum aures mire vellicat. Ratio status obmovenda est, ut principes excitentur contra Ecclesiam, et ecclesiasticis creetur invidia. 2. Confirmationes episcoporum Pontifici, uti demonstravi, jure sive dein patriarchatus, sive primatus debentur et reservantur, sed ad tale negotium et expeditiones indiget officialibus; dignus est autem operarius mercede sua. Et quæro, si in Gallia, vel quovis regno patriarcha foret, qui ista negotia tractaret, utrum ibi nulla omnino taxa, sportulæ nullæ solvendæ forent? non novi curiam, ubi officiales laborent

suis impensis et gratis. 3. Ab adversariis istæ pecuniæ, quæ quotannis ex Gallia Romam asportantur, ad conflandam invidiam in immensum exaggerantur et *immensas* hìc etiam dicit Febronius, alii milliones numerant. Interim D. Carraccioli, cui Gallia non minus quam Roma optime perspecta fuit, et qui ex professo in hanc rem inquisivit, testatur, ex tota Gallia per annum pro omnibus et bullis dispensationibus etc. ad summum sexcenta millia librarum Gallicarum, et non ultra emigrare. *Liv. les voyages de raison.* Sed quanta hæc sunt pro isto Regno? deme hinc expensas, quas Pontifex pro tenendo in Gallis nuntio expendere debet, nihil dicam de missionibus etc., et summa multum decrescet. Verum audiemus te de hoc iterum. Febronius tom. IV, part. 2, dissert. 8, multa adhuc congerit ad asserendum metropolitis jus confirmandi episcopos.

1. Ait, ex *traditione apostolica* episcopi a plebe et clero eligebantur præsentibus episcopis provincialibus.

2. Quando Pontifices circa electiones episcoporum aliquid statuebant, id fecêre ut canonum tutores et vindices, nec novi quid discernebant.

3. Abusus electionum episcopalium et controversiæ exortæ non sunt sufficiens titulus reservationis: his per constitutiones ecclesiasticas satis provisum est, et ipsi Pontifices hos abusus pro reservationum prætextu non allegabant.

4. Conciliis Nicæno, Laodiceno et Arelatensi II, jus confirmandi episcopos metropolitano asseritur, et hoc jus metropolitani fortiter defenderunt, quod exemplis monstratur.

5. Confirmationes episcoporum in *Italia* et *suburbicariis provinciis* nihil probant, quia in illis partibus vel non erant metropolitani, vel habebant tantum titulum sine re.

6. Pontifici tanquam patriarchæ occidentis *jus confirmandi* asseritur ex concilio Nicæno : sed hoc ipso evincitur, illud tantum juris humani esse, adeoque ad jura primatus non pertinere. Dein hoc jus extra *suburbicarias* regiones in occidente receptum non est, uti probat Thomassinus.

Respondeo ad 1. Apostoli ipsi, nullo interveniente, ex plenitudine potestatis eligebant et constituebant episcopos : sola autem plenitudo potestatis in universam Ecclesiam, quæ in Petro fuit, in hujus etiam successores transiit ; hinc hoc jus in Rom. Pontifice adhuc remanet. Quod si *post tempora apostolorum* episcopi a populo et clero electi, atque ab episcopis provinciæ consecrati sunt, istaque disciplina electionis etiam *ex traditione apostolica* descendat, id factum est propter necessitatem providendi ecclesiis, Petri successore absente. Quod si præsens fuisset, vel semper adesse potuisset, peto, utrum ei nullum in electionem vel confirmationem episcopi jus fuisset? hoc igitur demonstrandum erat. Carentia juris probari debet ex casibus, ubi illud, si

adest, exerceri potuisset, non ex facto, quo illud exerceri non potest ob impedimentum extrinsecum. E contra, Papa Romæ et in locis vicinioribus per se ipsum ordinabat et constituebat episcopos, sæpe etiam remotioribus dabat, vel electione sibi significata confirmabat, uti constat ex libro Pontificali, ubi veteres Pontifices per diversa loca multis ordinationibus constituerunt episcopos : quodnam autem concilium Rom. Pontifici hanc potestatem dedit ? quis eum constituit metropolitanum, nisi quod jam ab ipso Christo Domino primas universæ Ecclesiæ constitutus fuerit ? Concilium Nicænum can. 6, si rite expendatur, id non obscure insinuat per verba : *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum — — ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est.* Fatetur Febronius ex Thomassino, inter doctos convenire, hoc canone agi de ordinationibus episcoporum. Ibi autem nihil novi juris tribuitur neque Alexandrino, neque Romano episcopo, sed solum *antiqua consuetudo* confirmatur patriarchæ Alexandrino, nempe ut habeat potestatem ordinandi seu confirmandi episcopos in suo patriarchatu eo modo, quo illam habet episcopus Romanus in suis provinciis patriarchalibus, *quia urbis Romæ episcopo parilis mos est.* Idem ordinatur de patriarcha Antiocheno : *similiter autem et apud Atiochiam.* Jam si concilium hisce patriarchis jus ordinandi et

confirmandi episcopos noviter non tribuit, sed hanc jam *antiquam consuetudinem* esse edixit, quam solummodo confirmavit, uti ex verbis manifestum est, unde tandem ista consuetudo descendit? quis ejusdem auctor fuit? lege et relege, nullum invenies concilium, nullum canonem ante Nicænum, ubi ista potestas patriarchis primitus conceditur : quam maxime ergo valet hìc regula S. Augustini l. 1, contra Donatist. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Ab apostolorum aliquo igitur hanc potestatem illos accepisse *rectissime creditur ;* verum a quo alio, quam a Petro, utriusque Ecclesiæ Antiochenæ et Alexandrinæ fundatore et auctore? si a Petro? habuit ergo Petrus, quam aliis dedit potestatem : et quo titulo ac jure habuit, nisi universalis primatus? vides, potestatem confirmandi episcopos, et hanc potestatem reservandi in aliis patriarchis in origine sua nequidem probari posse, nisi ex potestate et primatu Petri : utquid ergo Petro denegas eam potestatem, quam ipse aliis communicavit, et quæ in primatu ejus radicatur? Scimus et Constantinopolitanum patriarcham hoc jus exercuisse, verum et origo hujus ostendi potest; hic quippe sicut et Hierosolymitanus, patriarchæ *ecclesiastici* vocantur, quia sicut dignitatem, ita et jura sua, cedentibus ultro episcopis, ab his seu ab Ecclesia acceperunt; illi autem jam ab initio, nullo insti-

tuente concilio, nulla cessione episcoporum facta, exercuerunt.

Ad 2. Igitur Pontifices in electiones et confirmationes, quando res poscebat, se immiscere poterant, et judicium ipsis reservabatur? At tantum tutores et vindices canonum erant. Sit ita : sed quorum canonum? nempe quos ipsi condebant, vel saltem eorum consensu et auctoritate condebantur. Sic in concilio Nicæno canones, adnitente per Osium legatum Sylvestro Papa, condebantur. Concilia particularia Laodicenum, Carthaginense III, Arelatense II, quæ citat Febronius, quam auctoritatem habent pro tota Ecclesia, nisi quatenus a Rom. Pontifice confirmata sunt, vel alias in auctoritatem assumpta? dein an non Rom. Pontifices in hac ipsa materia *electionis* et *confirmationis* multa statuerunt, quæ nullis antea canonibus aut conciliis sancita fuerunt? sic Cœlestinus I, epist. 4, nullum *invitis* et *non petentibus* episcopum dari constituit. Idem statuit S. Leo epist. 9, Symmachus P. epist. ad Cæsar. Arelat. ut decretum electionis sine visitatoris præsentia nemo conficiat. Innocentius I, epist. ad synod. Tolet. dispensat cum iis, quorum electio et ordinatio vitio laborabat. Talibus verbis ergo rerum ignaris haud imponatur : *nihil novi egerunt Pontifices, tantum ut tutores et vindices canonum se gesserunt.* Utique suas leges urgebant, vindicabant, ipsi erant legislatores et conditores canonum, vel saltem suo

consensu et approbatione condebantur. Innocentius I, et Gregorius M. alios canones, etiam conciliorum, non agnoscebant, nisi quos Ecclesia Romana recepit. Confer. cap. II, § 7, in not.

Ad 3. Titulus sufficiens reservationis est jus et potestas reservandi : ubi existit jus, ibi alius titulus non requiritur. Hoc solo titulo Constantinopolitanus semper exercuit et reservavit ordinationes ac confirmationes episcoporum. Præterea abusus, si sint admodum rari, de se non fuissent sufficiens titulus, est tamen sufficiens, si sint frequentes. Mutatio disciplinæ circa ipsas electiones, quod nempe contra constitutiones Ecclesiæ primo populus, deinde clerus ab electionibus fuerint exclusi, ut tandem hoc jus ad sola capitula cathedralia transierit, hæc mutatio, inquam, manifeste arguit, *frequentes* abusus et turbas intervenisse, secus tanta variatio introduci non potuisset, nec debuisset, quod dein in confirmationes electionum necessarium influxum habere debuit. Sunt autem non soli abusus, sed et aliæ caussæ reservationis, quas supra ex D. Barthel enumeravi. Interim, ut jam dixi, supremo Principi sufficit jus suum allegare ; nihilominus Pontifices ex his abusibus, aliisque motivis justissimam habuerunt caussam, jus suum revocandi et exercendi.

Ad 4. Concilium Nicænum patriarchis jus ordinandi et confirmandi episcopos asseruit, non eis hoc attribuendo, sed confirmando, quod jam

ex antiqua consuetudine habebant et exercebant, uti ex verbis concilii manifestum est. Rom. Pontifex autem habebat jus illud eodem, imo majori adhuc jure, nempe universali et originario, quippe, ut supra *ad primum* demonstravi, patriarchæ primitivi jus illud non habebant, nisi a Petro : adeoque Petrus principaliter et universaliter habebat, quia potuit aliis elargiri. Hæc dein potestas, ordinatis atque partitis provinciis, etiam in inferiores metropolitas manavit, consentientibus utique patriarchis, quibus etiam per varias synodos confirmata fuit, manente tamen semper jure illam revocandi et reservandi in patriarchis, utpote quod ipsis etiam in concilio Nicæno nominatim assertum fuit. Sic constat, Constantinopolitanum revera omnes ordinationes episcoporum sibi reservasse, et Innocentius I patriarchæ Antiocheno, uti vidimus, injungit, ut easdem sibi reservet. Neque dicas : sic Papa potuisset etiam ordinationes vel confirmationes episcoporum orientalibus patriarchis subditorum sibi reservare. Respondeo enim negando, non quidem ob defectum juris, sed propter necessitatem statim providendi ecclesiis viduatis, et ninniam distantiam, atque impossibilitatem moralem recurrendi Romam. Dixi *non ob defectum juris.* Nam ex historia ecclesiastica scimus, Pontifices Romanos sese controversiis circa electionem et ordinationes episcoporum etiam in oriente sæpe immiscuisse, et sententiam dixisse. Sic Aga-

pitus P. anno 536, Mennam Patriarcham in sedem Constantinopolitanam, invito etiam Imperatore, ipsus ordinavit. Quo autem jure? utique non patriarchali; igitur jure primatus.

Porro exempla resistentiæ metropolitanorum contra ordinationes et confirmationes Rom. Pontificum, a Febronio allata, quid probant? facta sunt: non negamus, episcopos et metropolitas aliquando restitisse, sed quæritur, utrum jure? habebant utique metropolitani jus, quod contra quoscunque alios metropolitas defendere poterant: at inficiamur, id etiam contra Pontifices jure defendere potuisse: imo nec contra suum patriarcham, cui hoc jus, fatente etiam Febronio, competit, defendere potuissent; igitur resistentia illorum fuit illegitima. Cæterum, inter allata, quædam egregia defensionis exempla sunt, dum unus metropolita episcopum in sua civitate armata manu obsedit, alter omnino in carcerem dedit. Taliter resistentes illi metropolitæ canonibus ducebantur!

Ad 5. Utique confirmationes episcoporum in Italia et suburbicariis provinciis aliquid probant. *Suburbicariæ* provinciæ, ut jam semel demonstravi, in totum occidentem porriguntur. Si igitur in his Pontifex jus confirmandi habet, quid contra reservationem querela obtenditur? dicis, ibi metropolitas habuisse titulum sine re. At hæc non cohærent. Si metropolitæ jus confirmandi habent jure canonum et conciliorum, Pontifex au-

tem hoc jus in provinciis metropolitanorum non habebat, tunc habuissent etiam rem cum titulo. Si ais cum editoribus operum Gregorii M., Papam hoc jus habuisse, quatenus est *primas* et *patriarcha* occidentis, ergo cessat querela de reservatione, quanquam, uti jam probavi, hoc jus in patriarchas a Petro descendit, sicque Pontifici simul et originarie etiam competit jure primatus universalis. Vid. etiam cap. II, § 5, ex his patet responsio.

Ad 6. Hoc jus, quatenus *patriarchale* est, seu in patriarchis cæteris inexistit, juris humani, quia vel a Petro, vel ab Ecclesia consentientibus et cedentibus episcopis illis collatum fuit, quatenus vero in successore Petri existit, juris divini est, et ad primatum pertinet. Ais, hoc jus extra *suburbicarias* regiones receptum non fuisse: ego dico, a Pontificibus non exercitum et metropolitis permissum fuisse. Primatus autem est juris divini, qui si exercetur, admitti et recipi debet: neque plus allatæ a Febronio auctoritates probant. Dein jus, quod Rom. episcopo saltem tanquam patriarchæ in concilio Nicæno agnitum et assertum fuit, an ab inferioribus *recipi* non debebat? adde, metropolitas in provinciis, qui jus confirmationis exercebant, sæpe fuisse legatos et vicarios apostolicos, uti Arelatensis in Gallia etc., etc. Cæterum, quænam sint provinciæ *suburbicariæ*, dixi cap. 2, § 5, in not.

§ IV.

Idem jus in postulatione obtinet.
Quibus caussis jura metropolitanorum in his et similibus minuta sint?

Cujus est electionem confirmare, ejus est et postulationem admittere, nisi dispensatio, qua postulatus eget, confirmantis potestatem excedat.

1. Extra casum dispensationis postulatio per se ad caussas majores non pertinet. At moderno jure pontificio reservatur.

2. Quare archiepiscopi jura tam sublimia et firmiter radicata eripi sibi passi sint, caussas affert Gregorius Zallwein princip. jur. eccles. tom. IV, quaest. 2, c. 2, sunt autem 1. Collectio Isidori, quam Pontifices sibi faventem omnibus modis urserunt. 2. Cessatio synodorum provincialium. 3. Ipsi Pontifices jura metropolitanorum restringere coeperunt. 4. Exemptiones et privilegia episcoporum. 5. Frequentia appellationum. 6. Reservationes dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum. 7. Jura et privilegia annexa Pallio.

NOTA.

Postulationis sicut et in electione confirmationis eadem oeconomia est, quia utrobique agitur de necessitate idoneos ministros et pastores proficiendi; saepe tamen magis difficile est negotium pos-

tulationis propter impedimentum canonicum, quo postulatus ligatur ad aliam dignitatem vel sedem recipiendam, ita ut dispensatione egeat, et hinc eo ipso ad eum potius pertinet, qui hoc ligamen potest solvere.

Caussæ reservationum, quas ex clariss. Gregorio Zallwein Febronius affert, eidem eo magis placent, quia ex parte Rom. Pontificum ut plurimum se tenent, ut inde deducere possit, eos immerito et injuste has reservationes induxisse. Sed quas Febronius *caussas reservationum* appellat, ego potius *modos* et *vias* dico, quibus reservationes tandem factæ sunt. Caussas vero præter alias nomino eas, quas supra ex D. Barthel in nota ad § 3, retuli. Dico, *præter alias*: nam D. Amort Febronio haud suspectus, nec Pontificibus nimium indulgens tom. III, vindic. jur. eccles. dissert. 3, proposit. 6, sic habet: *si inquiratur origo omnium reservationum Papalium, reperitur, eas fundari in exigentia boni communis ob neglectum vel abusum generalem potestatis episcopalis in episcopis suo patriarchatui subjectis.* In exigentia boni communis Ecclesiæ cura et provisio ad primatum per se pertinet, generalis neglectus vel abusus vero sufficiens reservandi et providendi caussa est.

§ V.

Datio coadjutoris cum futura successione serius inter caussas majores numerata est.

Deputationem coadjutoris episcopi inter caussas majores numerari, primum exeunte seculo 13, colligitur ex c. *unico, de Cler. ægrot. in* 6, coadjutorias cum futura successione dari, juris analogiæ repugnat.

1. Cit. c. *unico*, anno 1298 composito, Bonifacius VIII sic loquitur. *Pastoralis officii debitum exequentes declaramus atque statuimus, coadjutorum episcoporum et superiorum prælatorum dationem intelligendam esse de caussis majoribus, et referendam ad apostolicam sedem, et ab ea, non obstante consuetudine contraria, tantummodo postulandam.* His verbis satis innuitur, jus novum condi.

2. In sequelam hujus juris novi a concilio Trident. sess. 25, de reform. cognitio caussæ de coadjutore ad Papam refertur.

NOTA.

Bonifacius VIII, primus coadjutorias simplices reservavit et inter caussas majores numeravit; nam coadjutoriæ cum *futura successione* jam alias per canones prohibitæ erant, ideoque ad Rom. Pontificem, cujus est in legibus Ecclesiæ dispensare, pertinebat.

Quoad coadjutorias simplices advertendum est, non solum Bonifacium VIII, sed jam ante ipsum Lucium III, Honorium III, Innocentium III disposuisse, cui et quando dandus sit coadjutor. Dein hìc iterum agitur de necessitate vel magna utilitate Ecclesiæ, item de idoneitate personæ, quæ in coadjutorem assumitur, ac demum de conservatione et recto ordine disciplinæ, ne jura eligentium lædantur, aut invitis præponatur episcopus etc., tandem cum confirmationes episcoporum necessitate exigente et justis de caussis reservatæ sunt, consequens erat, ut et coadjutoriæ reservarentur, cum utrobique ageretur de dignis pastoribus præficiendis. Probavimus autem jam supra, hoc jus radicari et fundari in universali primatu Rom. Pontificis, quod, universali fere necessitate cogente, sese explicare debuit. Jus ergo hoc Rom. Pontifici non noviter accessit, sed hic reservando, etiam in hac parte disciplinæ vigilantiam extendere, atque istud jus, quod jam in eo præexistebat, per se ipsum exercere voluit, sic reservatio non novum jus condidit, sed ejus exercitium mutavit, istud ad primævum suum fontem revocando. Bene cessit Isidoro, quod Bonifacius P. pro hac reservatione ex eo non alleget aliquam decretalem, sed tantummodo *debitum pastoralis sui officii* : sed hoc ipso elucet, caussas majores, harumque reservationes non Isidori decretalibus falsis, sed primatui suos natales debere.

Haud nego priscis seculis in hoc aliam disci-

plinam fuisse, et quandoque etiam coadjutorias cum futura successione a sanctissimis viris datas fuisse; at hoc *contra regulam* factum est, et abusus disciplinam tandem mutari coegerunt; hinc exempla Febronii tom. III, tit. 3, § 4, allata nihil probant. Baronius ad annum 426, § 18, ait, eo jure sapienter usos esse plures Antistites, *cum quos sanctissimos scirent eos ad episcopale munus deligerent*, sed cum secus fieri cœpisset, synodus Nicæna interdixit; hinc etiam S. Augustinus epist. 213, alias 110, se excusat : *adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre et episcopo meo sene Valerio, episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod concilio Nicæno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat.*

§ VI.

Translationes episcoporum semper auctoritate synodorum provincialium factæ; demum vi falsarum decretalium Rom. Pontifici reservatæ sunt.

Nullus genuinus juris textus Innocentio III antiquior translationes episcoporum Papæ reservat. Ille supposititio can. 34, caus. 7, quæst 1, innixus translationem episcoporum *soli B. Petro*, ejusque successoribus *speciali Christi privileyio* reservatam esse, idque antiquitatem testari asserit.

1. Ex variis juris textibus colligitur, quarto, sexto et octavo seculo episcopi translationem ad episcopos provinciæ pertinuisse.

9. Seculo nono disjunctive, vel sedis apostolicæ auctoritate, vel decreto synodi provincialis translatio facta fuit, uti tradunt Hincmarus et Thomassinus.

NOTA.

Certum est, translationes episcoporum ab una sede ad aliam severe prohibitas fuisse concilio Nicæno, quæ prohibitio dein renovata fuit a pluribus conciliis ad excludendam ambitionem et avaritiam. Jam si a conciliis generalibus Nicæno, Chalcedonensi etc. id prohibitum fuit, qualiter episcopi vel synodi provinciales in lege universali Ecclesiæ dispensare, et translationes facere potuerunt? Thomassin. de vet. disciplin. eccles. part. 2, lib. 2, c. 56, sic habet: *secundo enim metropolitanis, vel conciliis provincialibus accesserit potestas dispensandi de decretis conciliorum œcumenicorum? nisi concilia ipsa œcumenica, vel consuetudo universalis ac præscriptio eum usum confirmarint, maxime prioribus Ecclesiæ seculis, quando difficillimum erat, omnes ad has dispensationes sedem apostolicam adiri. Si consuetudine autem id invehi potuit, ut episcopus Carthaginensis et metropolitani in conciliis suis provincialibus relaxarent canones conciliorum œcumenicorum, ambigere nemo potest, quam multo magis ea invehi potuerit, ut posteriori hac Ecclesiæ ætate primæ sedi potestas ea integra servaretur; cum illius ea peculiaris et propria*

esse videretur, *velut flosculus divini primatus*, *principatusque in universos episcopos*, *et ejus prærogativæ*, *qua Pontifex constituitur custos*, *executor et conservator canonum*, *conciliorum præsertim generalium*, *quibus præfuit*, *quæ confirmavit*. Thomassinus igitur ait, synodos particulares per se et regulariter non posse dispensare in legibus universalibus conciliorum generalium, nisi forte his ipsis consentientibus, vel consuetudine universali et præscriptione fundata in necessitate propter difficilem recursum ad S. sedem : dein si synodi particulares dispensare potuerint in translationibus, multo magis id posse Papam, et disciplina induci, ut ipse solus dispenset, quia talis dispensatio proprie ad ipsum et ad jus primatus pertinet. Igitur reservatio translationis non solum justa, sed Rom. Pontifici omnino debita est. Auctoritas Thomassini Febronio alias in pretio est, quem ubivis citat, adeoque etiam hic admittere debet, præsertim dum ejus argumenta optime concludant. Dein idem auctor c. 61, varias caussas affert, quare hoc jus a Papa semper exerceri non potuerit, postea tamen justissime ad illum privative transierit.

Febronius his non motus tom. II, c. 4, n. 4, adduxit Fleurium inter alia dicentem : *toutefois le concile de Sardique*, *et les autres*, *qui ont défendu si sévèrement les* translations, *n'ont fait aucune exception en faveur du Pape*. Item tom. III, tit. 2, § 3, et tom. IV, part. 2, dissert. 8, c. 3,

plura translationum exempla a synodis provincialibus facta recenset, ad quod etiam auctoritate Socratis utitur. Verum mihi videtur non omnia miscenda atque confundenda esse. Equidem certum est, etiam prioribus seculis translationes auctoritate Papæ factas esse sine, vel saltem non obstante concilio provinciali. Sic præter translationem Perigenis ab Ecclesia Patrensi ad metropolim Corinthi, Proclus et S. Germanus ambo ab Ecclesia Cizicensi ad Constantinopolitanam, Frotarius a Burdigalensi ad Bituricensem translati sunt : de hoc etiam a S. Gregorio M. exempla proferri possunt : e contra, Agapitus P. translationem Antimi, et Hilarius P. illam Irenæi, in quam episcopi jam consenserant, improbarunt.

Habemus igitur facta ex utraque parte pro et contra, scilicet translationes auctoritate particularium synodorum, tum etiam sola Rom. Pontificis factas, et circa has frustra ad jura metropolitani aut patriarchæ recurritur : siquidem in ecclesia Constantinopolitana Papa nec metropolita nec Patriarcha fuit. Dein si concilium Antiochenum etc. hanc caussam *a synodo provinciæ perfecta*, et *a judicio multorum episcoporum* expresse decidi statuunt, hoc jus in solo metropolitano vel patriarcha non fuit, ideoque Papa ut merus metropolita vel patriarcha tanslationem perficere non valuit. Quod si nihilominus istud a patriarcha reservari posse contendat, id eo fortius et eadem ratione de primate universali affirmo.

Igitur ad hujus rei intelligentiam notandum est, quod et ipse Febronius admittit, per concilia non omnes omnino translationes vetitas fuisse, sed tantum quæ fiebant *præter regulam* et *citra necessitatem*. Quæ vero vetitæ non erant, per se non egebant dispensatione vel auctoritate; nihilominus ad præcludendam omni ambitioni et cupiditati viam, item ad turbas et inordinationes præcavendas, quæ in his translationibus facile oriri poterant, præcedere debebat cognitio, an revera talis translatio inter vetitas numeranda non sit? hæc cognitio ad synodum provincialem deferebatur vel per ipsa concilia œcumenica, utique præsidentibus legatis Pontificiis celebrata, aut saltem a Rom. Pontifice confirmata, vel universali consuetudine, ut ait Thomassinus, et quia difficilis erat recursus ad Papam. De hoc quamvis igitur mentio non fiat, quod objectant Fleurius et Febronius, nullibi tamen expresse excluditur : imo vero tacite includitur, tum quia, teste Thomassino, synodi provinciales hoc jus exercebant ob difficillimum recursum ad Rom. sedem, tum quia Papa, uti ex productis a nobis supra exemplis constat, tam in oriente quam in occidente translationibus episcoporum etiam sine synodo provinciali, quandoque vero contra eam, se immiscuit, ex quo sequitur, quod jus illud privative ad synodum non pertinuerit : hoc sensu Hincmarus intelligendus est, quando ait, translationem *synodali dispositione, vel apostolicæ sedis consensione*

fieri debere. Hæc nempe Hincmarus non de suo ævo aut in vim falsarum decretalium, sed de veteri disciplina proferre censendus est, quia et Febronius eum ubique veterum canonum tenacissimum et novis Isidori decretalibus repugnantem deprædicat.

Quod tandem Rom. Pontifices translationes episcoporum, et harum cognitionem caussarum sibi *solis* reservaverint, præter jus originarium et divinum, quod in illis jam præexistebat, atque quandoque exercuerunt, eædem rationes justissimæ postulabant, quæ et alias majorum caussarum reservationes necessarias effecerunt, quibus Thomassinus l. c. c. 61, addit, quia *conciliis provincialibus non ea invicta vis inerat, quæ præsulum ambitionem frænaret, eosque a temerariis translationibus prohiberet. Nunc audacia peccarunt episcopi, cum inutiles Ecclesiæ translationes molirentur : nunc metus et hæsitatio obfuit, cum urgente Ecclesiæ utilitate audendum esset. Cum tot capitum consensione ad electiones et translationes opus esset, non facile poterat omnibus convenire, ecquando justa esset ad translationem necessitas.* Imo audacia, ambitus et malum eo usque increvit, ut tandem episcopi propria auctoritate, vel principum potentia freti ab una ecclesia ad aliam transierint, uti factum tempore Gregorii V, dum Giselerus a Merseburgensi ad Magdeburgensem, et tempore Innocentii III, ubi episcopus Hildesiensis ad Herbipolensem transie-

runt, non obstante aliqua synodo. Dixi supra : *præter jus originarium et divinum.* Nam ipse Febronius c. 2, statuit, quod Rom. Pontifex *jure primatus divini* sit *custos et vindex canonum :* ad quem ergo magis cognitio et judicium pertinet, utrum, et quid juxta vel contra canones agatur? denique ut jam monui, Rom. Pontifices ab hoc jure per concilia expresse exclusi non sunt, imo illud prioribus seculis quandoque exercebant, utique non tanquam metropolitæ aut patriarchæ, qua inani interpretatione Febronius se evadere putat, quippe iis solis illud jus concessum non fuit, sed *perfecto concilio*, igitur jure primatus universalis id egerunt. Eccur ergo quod sibi jure divino debebatur, exigente necessitate vel bono Ecclesiæ, tandem, licet serius, privative reservare non poterunt?

Et quid Innocentius III peccavit, quem Febronius cum Petro de Marca et Mathæo Parisio *audacem jurisperitum* vocat, quando jus translationum ad jura primatus divini refert? de Marca perperam a se scripta circa potestatem Papæ publice et solenniter retractavit : Mathæus Parisius aliunde sat notus est. Tales sarcasmi et irreverentiæ genuinos scriptores parum commendant : e contra, Innocentius III laudatores habet viros celeberrimos, nec ullo unquam atro stigmate notatos.

§ VII.

Iisdem mutationibus etiam cessiones episcoporum subjectæ fuisse noscuntur.

Quandiu confirmatio ad alios, quam ad Papam spectabat, consequens erat, ut et admissio resignationis ad eos pertineret. Innocentius III, primo resignationes inter majores et reservatas caussas refert c. 2, X, de translat. *translatio, depositio, cessio non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Rom. Pontifici reservatæ.* Prius a conciliis provincialibus constanter et optimo jure peractæ sunt.

1. Guilielmus Barclaius in cit. cap. observat, talibus homines in errorem induci, *ut quidquid a Papa fiat, a Deo* factum esse putent. Et Card. Contarenus in suo concilio ad Paulum III, perversam esse quorumdam canonistarum opinionem, *voluntatem Pontificis esse regulam, nec ei aliquam regulam esse constitutam.*

2. Quod vel nemine consulto, vel cum notitia episcoporum provinciæ onus episcopale abjectum fuerit, plura exempla prostant apud Petrum de Marca, S. Augustinum, et in vita Bartholomæi de Martyribus.

NOTA.

Idem nos asserimus: eodem titulo ac jure, quo confirmationes, etiam cessiones et resignatio-

nes episcoporum summo Pontifici reservantur, quocunque dein tempore ista reservatio introducta sit. Rom. Pontifici tanquam Pastori universali incumbit cura non ovium duntaxat, sed et pastorum gregum particularium; imo horum cura eidem eo magis est propria ac debita, quo amplius ab eis bonum religionis et totius Ecclesiæ dependet. Inefficax foret officium primatus, et cura inutilis, si vicarius Christi quoscunque ad pascendas maximas gregis partes deberet admittere, vel dimittere, neque qui boni atque idonei sunt, probare, aut mercenarios et lupos repellere posset. Hinc qualitercunque istæ cessiones priscis temporibus factæ fuerint, successu tamen temporis, propter exigentiam boni communis Ecclesiæ, item propter fraudes, violentias et abusus non raro intervenientes, merito reservari debuerunt.

Attamen exempla ex prioribus seculis non desunt, quæ jus istud Rom. Pontifici confirmant. Sic Martinus I, Amandum episcopum Trajectensem, a suo episcopatu cedere volentem, prohibuit. Hilarius P. resignationem Nundinarii reprobavit. Gregorius M. approbavit resignationem Castorii Riminensis. Neque hìc ad jura metropolitana vel patriarchalia iterum confugias; nam si hæc ex una parte ad jura primatus non pertinent, ex altera jus istud per canones conciliis provincialibus debetur, neque solus metropolita, neque patriarcha istud exercere poterit. Si vis, hoc jus tacito consensu et consuetudine ad solos metropolitas

et patriarchas manasse, quare non magis ad ipsum fontem primatus universalis redire potuit, quocum necessariam connexionem habet, et in quo, pro bono totius Ecclesiæ, jus illud jam præexistebat?

Hodierni canonistæ distinguunt inter jura primatus primigenia et essentialia, atque inter secundaria seu adventitia. Optime quidem, si hoc intelligant *de exercitio*, quod per posteriores reservationes ampliatum atque extensum fuit. Si vero intelligant de *ipso jure* ac *potestate*, quasi de novo Pontifici accesserit, quod prius nullo modo habuerit, nihil est ad fallendum aptius, nihil indistinctius, quod verbis clarissimi Thomassini in respons. ad censuram 14 anonymi egregie illustratur. *Ecclesia ipsa Christi*, ait Thomassinus, *sexcentis in rebus mores, leges, ususque pristinos novis, novos revocatis pristinis obduxit, in ipsorum etiam usu sacramentorum, quorum sacrosancta vel maxime majestas est; quin ergo et in sacræ potestatis atque auctoritatis usu, atque exercitio variatum, alternatumve sit in tanto seculorum lapsu, in tot rerum, locorum, temporumque diversissimis commissuris? consulto dixi, non in potestate, sed in potestatis usu atque exercitio variatum esse, sive in confirmationibus, sive in concessionibus, sive in translationibus episcoporum, sive in dispensationibus, sive denique in absolutionibus. Prior enim usus obtinuit, ut hæc partim per Rom. Pontifices, partim per concilia*

provincialia expedirentur : posterior usus hæc omnia ad solos Rom. Pontifices revocavit. In usu et exercitio variatum est, non in potestate. — — Non ergo quæstio unquam vertitur de potestate primæ sedis, quæ summa et sui simillima semper est, sed variato ejus per tot ætatum, tot locorum, negotiorumque varietates exercitio et usu. Qua fronte igitur contra posteriores reservationes tam altum clamare, ipsam potestatem impugnare, vel saltem in dubium vocare, et tandem Rom. Pontifices *usurpationis* accusare licebit? an tota reservationum machina falsis Isidori decretalibus innititur.

Barclaium non attendimus, qui multa bene, multa male, scripsit : potuisset Febronius huic addere Lutherum, et quoscunque vel Ecclesiæ vel Pontificum hostes. Nos tam insani non sumus, ut dicamus, omnia, quæ a Papa fiunt, divina esse, neque voluntatem Papæ pro regula constituimus, sed ejus potestatem a Christo acceptam, hanc vero ad ædificationem Ecclesiæ datam esse affirmamus.

§ VIII.

Caussæ depositionis episcoporum de jure ad synodos provinciales pertinent.
Ut inter reservata Pontificis referrentur, plurimæ decretales confictæ sunt.

Canones decernunt, episcopos in conciliis suarum provinciarum judicari et deponi debere. Ita

concilium Antiochenum, Sardicense, Constantinop. I, Chalcedonense, canones conciliorum Africanorum, capitula Hadriani I ad episcopum Metensem. Hanc disciplinam ubique religiose et constanter servatam fuisse, produnt plurima exempla apud Gregor. Turonens., Petrum de Marca et Natalem Alexandrum.

Ad tam certa jura evertenda, præ aliis, plurimæ confictæ sunt decretales epistolæ, Anacleti, Sixti I, Hygini, Aniceti, Eleuterii, Victoris, Zepherini, Fabiani, Sixti II, Julii I, Felicis II, Damasi, quæ omnes in decreto Gratiani prostant. Creditur impostor artem suam in hac caussa exercuisse, quia sperare poterat futurum, ut hi canones ad alia episcoporum negotia, velut translationes, electiones, confirmationes, postulationes, cessiones facile traherentur. Potuit hoc dare ansam episcopis primæ sedi arctius adhærendi et severitatem judiciorum provincialium diffugiendi; hinc impunitati lex data creditur, aditu reservato, in omnibus caussis appellandi sedem apostolicam, unde magnorum virorum Ivon. Carnot., Hildeberti Cenoman et Bernardi abbatis graves querelæ.

Cum mirum videri posset, quomodo Pontifices per novellos canones episcopos, Galliæ præsertim, a pristinis moribus abduxerint et jus primævum fundatorum Ecclesiæ (si superi paterentur) æterno supplicio mulctaverint, indicabitur id ex Stephano Balluzio in Præfat. ad lib. Antonii Augustini de emendatione Gratiani.

1. Cum falsarius sibi proposuisset, ex Rom. Pontifice absolutum monarcham facere, omnia arripuit media suo systemati conformia. Ad hoc canones Sardicenses eidem fuerunt valde opportuni, qui quamdam provocationis speciem permittunt, sed nihil minus, quam *reservationem* ex eis sequi, dicetur cap. 5.

2. Huc repetenda, quæ superiori paragrapho dicta sunt de c. 2, X, de translat. Innocentio III, idem crimen non imputatur, quod Isidoro : ille innocenter deceptus fuit. Pontifices, supposito Isidoriano systemate, quæsierunt et publicarunt rationes eidem systemati convenientes, quibus jus hujus reservationis colorarent. Sic alicubi allegatur gravitas materiæ, alibi vinculum spiritualis matrimonii, sed hæ caussæ arbitrariæ sunt.

3. His ansis motum concilium Trident. sess. 24, c. 5, caussas criminales et graviores episcoporum summo Pontifici cognoscendas et terminandas reservat. Sed hîc tria veniunt observanda. Reservatio depositionis episcoporum repugnat juri genuino : ordinatio Tridentini, secundum vim falsarumdecretalium, fundatur in errore juris communis, et emendationi, dum falsum detectum est, subjacet. Denique oratores Gallici adversus hanc Tridentini dispositionem mox protestati sunt, quia adversatur juri regio, et ecclesiæ Gallicanæ privilegiis.

4. Petrus de Marca notavit l. 3, de concord. sacerd. et Imp. Nicolaum I ideo se acerrimum vindicem Isidori decretalium præstitisse, ut facilius

episcopos romanæ sedi sine medio subjiceret. Hinc novam regulam constituit epist. 42 ad episcopos Galliæ, ut episcopus, inconsulto Rom. Pontifice, etsi non adpellaverit, deponi non possit. Falsæ autem decretales, quibus innititur Nicolaus, duo cavent, ne synodus provincialis episcoporum criminales causas definiat, inconsulta romana sede, et ne ulla synodus, præter illius sedis auctoritatem, cogatur.

5. Quomodo per quamdam consequentiam, *præeunte* Papæ judicio, episcopi quandoque dejecti sint, dictum est cap. 2, § 9, cap. 3, § 4. Dum Gelasius P. epist. 13 ad episcopos Dardaniæ scribit, *Dioscorum sedes apostolica sua auctoritate* prostravit. Item de aliis episcopis. Sedes apostolica *hos in sua perfidia permanentes sua auctoritate prostravit, quam congregatio, quæ illic collecta fuerat, est secuta, quoniam, sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit judicandum, Ecclesia tota suscepit.* Bossuet in defens. declarat. cleri gallic. ista sic interpretatur, quod Pontifex fuerit auctor sententiæ, quam postea concilium Chalcedonense, facto examine, confirmavit, et vim ineluctabilem in eo esse, *quod Ecclesia tota suscepit.* habita nova quæstione et discussione.

6. Qualiter Galliæ Antistites passi sint causas episcoporum a synodis provincialibus avelli, primus occurrit Ingilramus, episcopus Metensis,

qui ob crimen se substrahere volens cognitioni suorum judicum, Hadriano P. obtulit capitula, ut plurimum ex Isidorianis collecta, ut suæ caussæ præsidium quæreret. Hæc capitula apud Sirmondum, Harduinum etc. inscribuntur Hadriano P., sed juxta Balluzium, Dupinium, Calmet et melioris notæ criticos, multo verisimilius Ingilramo inscribuntur. Hic igitur jam anno 785 his Isidorianis epistolis usus est.

7. Alii episcopi Galliæ sub scuto *Pallii* a Rom. Pontifice obtenti se a jurisdictione provincialium synodorum eximebant, uti Theodulfus Aurelianensis et Arctadus Namnetensis.

8. Aldricus Cenomanensis timens, ne in jus raperetur, ante omnem caussæ cognitionem, Gregorii IV, P. auxilium imploravit. Hic stabiliendi per universam Ecclesiam, præcipue per Gallias, novi juris occasionem arripiendam ratus, ad universi orbis episcopos dedit epistolam, docens, episcoporum judicia, præsertim si sedem apostolicam appellaverint, peragi non posse absque interventu auctoritatis episcopi romani, quod speciatim dein de Aldrico vetuit. Tam belle Sardicenses canones ex falsis decretalibus Gregorius interpretatur, idque ad implorationem Gallicani antistitis, in nova hac jurisprudentia sua quærentis commoda.

9. Rothado, Suessionensi episcopo, in synodo deposito mox alius subrogatus est, nequicquam obstante illius ad apostolicam sedem appellatione.

Nicolaus I, vir ad suscipiendas appellationes etiam adversus concilia provincialia promptissimus, in retinenda, propaganda et explicanda auctoritate sua non minus felix quam audax, sustinet, iniquum fuisse judicium synodi Suessionensis, quæ, præterquam quod congregata esset sine auctoritate Rom. Pontificis, *quod nulli fas est*, inquit, episcopum damnaverat appellantem ad sedem apostolicam. Ut vero episcopos Gallicanos induceret ad restitutionem Rothadi, eis aperit vastissimum campum impunitatis, privilegia nempe Ecclesiæ Romanæ, antiqua quidem, si Superis placet, dein pluribus seculis deperdita, noviter bonis avibus recuperata, id est, jus appellandi in omnibus caussis. *Privilegia*, ait, *sedis apostolicæ tegmina sunt, ut ita dicamus, totius Ecclesiæ catholicæ : privilegia, inquam, hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum. Nam quod Rothado hodie contigit, unde scitis, quod cras cuilibet non eveniat vestrum ? — — quod si contigerit, ut verbis utamur propheticis, ad cujus, rogo, confugietis auxilium ?*

NOTA.

Febronius hìc quidem in caussa depositionis episcoporum a concilio Nicæno, Antiocheno etc. orditur. At tom. III, tit. 3, § 2, scribit, jam ante Nicænum hanc consuetudinem in conciliis deponendi episcopos receptam fuisse : attamen

inter exempla, quæ affert, alii erant solum presbyteri, de quibus hîc non agitur, sed solummodo de episcopis, alii manifesti hæretici, schismatici, lapsi : et si rem expendere vellemus, ubique vel consensus, vel auctoritas Rom. Pontificis etiam intercessit. Novatianus ab ipso Cornelio P. fuit depositus : depositionem Pauli Samosateni, manifesti hæretici, Patres per epistolam synodicam ad Dionysium P. detulerunt, qui eam confirmavit : sententiam Labesitani concilii in privatum hæreticum Fabianus P. confirmavit, teste Cypriano epist. 55. Caussa lapsorum a S. Cypriano jam prius ad sedem romanam delata, atque quid hâc in re agendum, decisum fuit. Pariter quod in caussa Basilidis et Martialis statutum erat, Romana sedes confirmavit. Omnia igitur hæc exempla potius contra Febronium pugnant.

Ne tamen, post concilium Nicænum, Febronius, tot conciliorum canonibus, adductis, cuipiam imponere valeat, notandum est. 1. In nullo horum conciliorum Rom. Pontificem in caussa depositionis episcoporum excludi, sed, e contra, in concilio Sardicensi can. 3, 4, 7, appellationem ad sedem apostolicam expresse statutam esse. 2. Concilium Antiochenum fuisse illegitimum et Arianorum conventum, adeoque per se nullius auctoritatis, nisi quatenus postea ab Ecclesia, præcipue Romana, illius canones recepti sunt, vel potius hi Ecclesiæ disciplinæ conformes erant. Ibi autem canon 15 aperte contra Athanasium

ab illis Arianis episcopis conflatus est, qui sic habet: *si quis episcopus de certis criminibus accusatus condemnetur ab omnibus episcopis ejusdem provinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium episcoporum provinciæ manere sententiam.* Nempe ita Ariani conspirabant, ut condemnationem Athanasii confirment, et ejus appellationem eludant: at huic canoni Antiocheno manifeste adversatur concilium Sardicense can. 4 et 7, ideoque nullius est roboris. 3. Ecclesiam Romanam canones concilii Constantinopolitani I, teste Innocentio I, epist. ad cler. Constant. et Gregor. M. l. 6, epist. non approbasse, nec recepisse, nisi primum seculo IX, post synodum œcumenicam VIII, ubi depositio episcoporum inter causssas reservatas jam numerabatur. 4. Concilium Chalcedonense, objecto can. 9, nequicquam de depositione episcoporum agit, sed solum prohibet, ne clericus habens negotium adversus clericum vel episcopum, *ad secularia percurrat judicia*, sed apud episcopum, synodum provinciæ vel primatum judicetur. Hic non de quibusve caussis clericorum, sed de depositione episcoporum sermo est. 5. Neque concilia Africana de depositione episcoporum præcise quidquam statuunt, sed solum ne ad secularia judicia quis transeat, item de ordine judiciorum servando. Interim concilia Africana particularia erant, nullamque novam disciplinam in Eccle-

siam potuerunt introducere. Dum autem prohibent, ad judicia transmarina convolare, sciendum, canones Sardicenses Africanis aliquandiu ignotos fuisse, de quo suo loco. Genuini igitur canones in hanc rem sunt, qui a conciliis, consentiente et confirmante Rom. Pontifice, conditi, et a tota Ecclesia recepti sunt, non canones intrusi, ab universa Ecclesia non recepti, vel a Pontificibus omnino reprobati. Ex his jam perspicies, Febronium multa allegasse, et parum, aut nihil probasse.

E contra, monumenta antiquitatis proferemus, quibus ostenditur, depositionem episcoporum semper ad Rom. Pontificem pertinuisse ante omnes falsas decretales. Et quidem certum est, quod concilium Sardicense in hac caussa ratam habeat appellationem a concilio ad sedem apostolicam. Ita Athanasius in concilio Tyriensi depositus sedem apostolicam appellavit: quomodo autem appellare potuisset, si caussa depositionis nullatenus ad Papam, sed privative ad concilium provinciale pertinuisset, hujusque sententia tota res confecta fuisset? Athanasius autem non tantum appellavit, sed et Julius I. P. adpellationem admisit, imo ejus depositionem sine suo praescitu et consensu nec concludendam fuisse edixit, scribens Eusebianis: *an ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur?* notabis, Julium haec scripsisse et consuetudinem allegasse

jam ante concilium Sardicense, quippe scripsit ad Eusebianos anno 342 et concilium Sardicense celebratum fuit anno 347. Quod hic Julius *consuetudinem*, Socrates hist. Eccles. lib. 2, c. 17. *Canonem ecclesiasticum* vocat. Sozomenus vero l. 3, c. 8, de Julio P. ait : *quoniam, propter sedis dignitatem, omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit*, nempe Athanasio et aliis episcopis depositis. Dein Socrates et Sozomenus loc. cit. dicunt, synodum Antiochenam, in qua Athanasius iterum depositus fuit, illegitimam fuisse, quia Julius P. non vocatus fuit, nec consensit, dum lege Ecclesiastica *pro irritis habentur, quæ præter sententiam Rom. Pontificis fuerint gesta.* Pari modo loquitur Epiphanius relatus a Cassiodoro l. 4, c. 9, irritam esse synodum Antiochenam, quia *neque Julius interfuit maximæ Romæ præsul, neque in locum suum aliquem destinavit, cum utique regula Ecclesiastica jubeat, non oportere præter sententiam Rom. Pontificis concilia celebrari.* Hinc patet, quod Julius Papa depositionem episcoporum ad se pertinere, vel saltem sine suo consensu perficiendam non fuisse judicaverit, hocque *consuetudinem*, ut ait, vel *canonem ecclesiasticum*, ut interpretatur Socrates, exegisse, quæ consuetudo vel canon in primatu Petri fundatur, uti innuit Sozomenus. Hoc unicum exemplum antiquitate tam celebre, et testimonis clarum præ omnibus aliis sufficere posset.

Ne autem Febronius hoc testimonio se convictum fateri debeat, tom. II et IV, varia effugia quærit, causam Athanasii in Sardicensi concilio demum perfectam fuisse, ipsos Eusebianos a Julio P. synodum petiisse, et ejus judicio rem detulisse, ideoque eos non potuisse amplius in hac re alia concilia celebrare, *consuetudinem*, quam allegat Julius, de sola Alexandrina Ecclesia intelligendam esse, quia a Marco discipulo Petri, fundata, et sic Romanæ confœderata fuit, Socratem et Sozomenum in eo falsos esse, quod consuetudinem hanc de universa Ecclesia interpretati sint. Verum, hæc omnia inania sunt, et extra viam. Ad. 1. Hic quæstio non est de effectiva restitutione Athanasii, sed de jure depositionis, quam ad se pertinere, neque concilium sine ejus consensu decernere potuisse, dixit Julius P.; utique Athanasius ante concilium Sardicense Romam appellavit, a Julio absolutus, et sedi suæ restitutus est; uterque ergo censuit, hoc jus ad sedem Romanam pertinere. Athanasius exin rursum ab Arianis rejectus est, et tandem in concilio Sardicensi restitutus. Violentia ergo Arianorum posterior non probat, illegitimum fuisse præcedens judicium Rom. Pontificis, quod et effectum habuit. Dein concilium Sardicense præsidente legato Pontificio celebratum fuit, et a Julio P. confirmatum, ideoque et restitutio sine auctoritate Rom. Pontificis peracta, caussæque finis impositus non fuit. Probe

etiam notandum, quod jus hoc a Julio vindicatum, in concilio Sardic. nequaquam contradictum, sed potius appellatio rata habita fuerit. Ad 2. Athanasius appellavit, et Julius caussam ad se traxit, antequam Eusebiani synodum pro caussa decidenda a Julio petiissent, quod manifestum est ex epist. Julii P. ad episcopos Antiochenos. *Nam qui a vobis ad nos missi sunt, cum non possent presbyteris Athanasii resistere, sed in omnibus refutarentur atque convincerentur, ipsimet a nobis id postularunt, ut synodus indiceretur, litteræque ad Athanasium episcopum Alexandriam, nec non ad Eusebianos* mitterentur etc. Igitur caussa depositionis, antequam Eusebiani synodum petierunt, a Julio P. jam assumi et tractari cœpta fuit, utique non *ex arbitrio* partium, sed tanquam *judice*. Et Socrates l. 2, c. 11, ait : *Eusebius vero cum, quæ voluerat, perfecisset, legationem misit ad Julium Rom. episcopum, rogans, ut caussæ Athanasii ipse judex esse vellet, et cognitionem negotii ad se traheret.* Et Sozomenus lib. 3, c. 7, ait, Julium singulis suam Ecclesiam restituisse, quia *per sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret.* Neque ideo concilium Antiochenum irritum fuit, quia Eusebiani rem Julio jam detulerunt, atque Romam venire promiserunt, sed quia, ut aiunt citati auctores, in caussa gravioris momenti irrita sunt, quæ absque sententia Rom. Pontificis fuerint gesta. Id ipsum ad conventum Antiochenum,

teste Sozomeno l. 3, c. 19, scripsit Julius Papa: *legem esse ad sacerdotii dignitatem spectantem, quæ pronuntiat acta illa irrita esse, quæ præter sententiam episcopi Romani constituuntur. Eadem autem, quæ Tyri et in Mareoto adversus Athanasium decernebantur, iniqua esse. An ignari estis, uryet Pontifex, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit? quapropter si isthic hujusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, ad nostram Ecclesiam deferri debuit.* Rationem addit. *Quod episcopi essent, et non vulgares Ecclesiæ, quæ ista patiebantur.* En! quæ etiam in aliis conciliis *Tyri* et in *Mareote*, antequam Eusebiani Romam venire promiserant, vel judicium Papæ detulerunt, gesta sunt, iniqua et irrita pronuntiantur, non autem alia ratione, quam quod, præter sententiam et inconsulto Pontifice suscipiebantur. Ad 3. Vocem *consuetudinem*, qua Julius utitur, ad solam Ecclesiam Alexandrinam trahi debere, nulla omnino ratio est, et gratis fingitur : etiam Antiochena Ecclesia a Petro fundata, Romanæ confœderata, et, ut ait Gregorius M., soror est; nihil inde plus juris pro Rom. Pontifice eruitur. Certe Socrates, Sozomenus et Epiphanius, qui hanc rem enarrant, nihil de hac confœderatione, aut speciali hac ratione meminerunt, sed id universaliter intelligunt, et potius ad primatum Petri referunt. Julius quoque ait, non de solo epis-

copo Alexandrino, sed de omnibus episcopis, *qui patiebantur, oportuisse, ut scribatur.* Ad 4. Non sufficit dicere, Socratem, Sozomenum, Epiphanium in hoc falsos fuisse, sed contra tam antiqua testimonia etiam falsitas rite probari debuisset. Vel ubi existit canon, qui hanc *consuetudinem* aut *legem* de sola ecclesia Alexandrina intelligi vult? hanc *consuetudinem* seu *legem* non falsam, neque pro sola *Alexandrina*, sed universa Ecclesia intelligendam esse, constat ex epistola, quam patres in synodo Alexandrina, cui interfuit S. Athanasius, congregati scripserunt ad Felicem P., *quod nequaquam vobis inconsultis agere præsumimus, canonibus quippe jubentibus, absque Romano de majoribus caussis nihil debere decernere Pontifice. — — Nam scimus in Nicæna magna synodo* 318 *episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari.* Et inferius : *nam fuit semper vestræ sanctæ et apostolicæ sedi licentia injuste damnatos, vel excommunicatos, potestative sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere : et illos, qui eos condemnaverunt, apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris, et anterioribus cognovimus actum temporibus.* Vides hìc *reservationem caussarum majorum*, et speciatim *depositionis* episcoporum, *legem* generalem esse, quæ in concilio Nicæno *roborata* dicitur; hoc sensu etiam Innocentius I ad Victricium

Rothomag. scripsit, *sine judicio Romanæ Ecclesiæ episcoporum jurgium non terminetur secundum synodum Nicænam.* At pergamus. Teste S. Athanasio, lib. de synod., Asclepas episcopus Gazensis in Palæstina inauditus depositus, atque ad Julium Papam appellans, per eum sedi suæ restitutus est.

S. Augustinus epist. 162, secundum Numidiæ primatem aliosque Numidiæ episcopos increpavit, quod, deposito Cæciliano Carthaginensi episcopo, Majorinum ordinassent, *antequam hæc damnatio confirmaretur per Romanam Ecclesiam.*

Monente S. Cypriano, Stephanus P. Marcianum Arelatensem deposuit. Quæ contra hanc depositionem Febronius tom. IV, part. 2, dissert. 8, c. 2, in medium profert, iis insulsius nihil esse potest, vel magis contradictorium. Lugdunensis episcopus, ait, cum collegis suis, dum Marcianus alterius provinciæ, nempe Narbonensis esset, Stephanum et Cyprianum convenerunt. At quare non Narbonensem Marciani metropolitanum cum sua synodo convenerunt, si depositio ad hanc spectabat? et quare Cyprianus non ipse manum admovit, sed rem ad Papam detulit, ad quem non pertinet? dein ex verbis Cypriani : *Marcianus se Novatiano conjungens — — sententiam non dicat, sed accipiat, — — cum ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus*, Febronius concludit, Marcianum jam fuisse ab episcopis damnatum, nec a Papa amplius judicandum. Ad quid ergo

sententia Papæ expetitur? dein quæro, utrum tantum in persona Novatiani, cujus hæresin sequebatur, sit damnatus, id est, habitus solum ut hæreticus propter notoriam ejus hæresin? sed hoc ad formalem depositionem non sufficit, sed etiam in sensu Febronii in synodo provinciali adhuc judicari debet: vel tale judicium revera in synodo congregata jam præcessit? quare ergo synodus eum non deposuit, si hoc ad eam pertinebat? revera nullum tale judicium præcessisse, ex iisdem Cypriani ad Stephanum litteris manifestum est: *oportet te facere plenissimas litteras ad coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum collegio nostro insultare patiantur, NB. quod necdum videatur a nobis abstentus.* Postea contradicit sibi Febronius, fingens, tale judicium episcopale successisse, et verisimillimum esse, totum Marciani negotium tandem in Gallicana synodo terminatum esse, atque Papam solum monere debuisse, ut abstineatur a Marciano, et alius in ejus locum eligatur. At ostendat Febronius hanc synodum: et ne diutius lectorem moremur, clarissima sunt verba Cypriani ad Stephanum P. secundum textum ipsius Febronii: *dirigantur in provinciam, id est, ad coepiscopos in Galliis constitutos, et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.* Si ad episcopos et plebem litteræ dirigendæ erant, NB. *quibus* abstentus sit Marcianus: ergo ab episco-

pis nondum erat judicatus, nec ab ejus communione recesserant : si in vim harum litterarum alius erat substituendus : ergo nondum depositus erat. Unde totum negotium in vim harum litterarum, et decreto Pontificis perficiendum erat, quidquid dein sit, an hæc sententia Pontificia in synodo provinciali, vel aliter *executioni* data fuerit. Tædet talibus minutiis tempus terere.

Damasus P. Timotheum episcopum Berytensem, alias Antiocheno patriarchæ subjectum deposuit : et dum decretum Pontificium vel suppressum, vel statim executioni datum non fuit, orientales rursum a Papa sententiam petierunt. Rescripsit Damasus : *quid igitur depositionem Timothei a me denuo postulatis, qui et hic judicio sedis apostolicæ, præsente etiam Petro Alexandrinæ urbis episcopo, depositus est una cum magistro suo Appollinare.*

Cœlestinus P. in Nestorium sententiam depositionis pronuntiavit, constituto in hunc finem Cyrillo legato apostolico, quæ dein a concilio Ephesino executioni data fuit. Ad præcludenda omnia effugia vid. de hoc supra c. 2, § 9, in not.

S. Leo Dioscorum damnavit et dejecit, teste S. Gelasio P. epist. 13 ad episcop. Dardaniæ. *Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit, et impiam synodum non consentiendo ac pro veritate — — sola* submovit. (Romana Ecclesia) *submovit.* Dein legati S. Leonis in concilio

Chalcedon. dixerunt : *sanctus et beatissimus Papa, caput universalis Ecclesiæ Leo per nos vicarios suos, sancto synodo consentiente, Petri apostoli præditus dignitate — — episcopali eum* (Dioscorum) *dignitate nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem.* S. Leo P. igitur eum deposuit, et concilii judicium non fuit ultimatum, sed assensus tantum, quidquid torquendo et retorquendo dicat Febronius. Verba ad litteram et oculum sunt clarissima.

Agapitus P. Antimum a sede Constantinopolitana deposuit. Theodorus P. Paulum Monothelitam ab eadem sede disjecit teste Martino I. P. Sic et Gregorius M., aliique Pontifices plures episcopos sua auctoritate deposuerunt.

Ex his jam patet, Rom. Pontifices tum ante, tum post concilium Nicænum in depositionibus episcoporum suam auctoritatem exercuisse, adeoque falsum esse, quod in vim falsarum decretalium hoc jus ad se traxerint.

Febronius dum omnia negare non potest, prælucente Dupinio magistro suo, distinctiunculis et exceptionibus utitur : Rom. Pontifici aliquid *privilegii* collatum fuisse, quod ex positivis legibus ei non competebat : in plerisque caussis actum esse *de fide*, insolitos ejusmodi casus extra ordinem contingentes legem communem non tollere. Denique tom. III, tit. 3, § 2, multos enumerat episcopos in conciliis provincialibus depositos.

Ergo *privilegium* est concessum Pontifici quod

Julius I jam ante concilium Sardicense *consuetudinem*, alii veteres scriptores *canonem* et *regulam ecclesiasticam* vocant, atque in *curia universali* et *sedis dignitate*, ideoque in primatu fundant? Privilegio episcoporum non indigebat, qui, teste Nicolao I, *privilegia sua per Petrum a Christo consecutus est.* Et Bonifacius I, epist. ad episcop. Thessal., teste Luca Holstenio et Christiano Lupo, ait: *Nicæna synodus non aliquid ausa est supra eam* (Ecclesiam Romanam) *constituere, cum viderit, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique noverat Domini sermone concessa.* Quæcunque antiquitas et concilia agnoscebant, Rom. Pontifici ex jure primatus competere, hincque observandum esse statuebant, Febronius mox privilegium ab Ecclesia concessum deprædicat; attamen ex suo systemate sic eum loqui oportebat, nempe præsupponendo, vel nullum esse primatum ex jure divino, vel eum saltem nullam jurisdictionem importare. Quidquid igitur habet Pontifex, non ex legibus positivis Ecclesiæ, sed divino jure habet. Ad alterum dico, non agi hìc de caussa depositionis, sed de jure. Dein Febronius vult utique, etiam caussas fidei ad synodos provinciales pertinere: cur ergo episcopi Marcianum manifestum novatianum, Nestorium manifestum hæreticum, Timotheum apollinaristam non deposuerunt? cur in crimine aperto desiderabatur adhuc judicium Pontificis? Ad 3. Quæro: quo jure illi casus extra

ordinem fiebant? an jure intrinseco primatus? igitur Pontifex vi primatus habet jus deponendi episcopos. Vel jure devoluto ab Ecclesia et episcopis: igitur sanctissimi illi Pontifices et tota Ecclesia decepti fuêre, quando illi propria et apostolica auctoritate in hisce judiciis se agere profitebantur, neque Ecclesia et episcopi unquam contradixerunt, sed tale judicium tanquam ab auctoritate D. Petri et primatus profectum agnoverunt. Num *extra ordinem* contingebat, quando Patres in synodo Alexandrina dicebant, *non debere episcopos absque Rom. Pontificis sententia damnari*, et illi *semper licentiam fuisse, injuste damnatos potestative sua auctoritate restituere?* quando legati Leonis in publica synodo generali pronuntiarunt: *Leo Petri apostoli præditus dignitate Dioscorum episcopali dignitate nudavit?* talia in publicis, et a publicis conciliis proferri, nemine contradicente, *ad casus extra ordinem contingentes* et *insolitos* pertinere nemo somniaverit.

Tandem si multæ depositiones episcoporum in conciliis factæ sunt, quid inde lucratur Febronius? ergo Pontifices nullum deposuerunt? sed hoc falsum est. Vel saltem non habent jus deponendi? et tamen hoc publice etiam coram conciliis propria auctoritate exercuerunt, nemine reclamante tam in orientali quam occidentali Ecclesia: igitur jus illis contradici non potest. Vel tandem privative hoc jus ad Rom. Pontificem non pertinet. At ostendere debuisset Febronius, omnes

illas depositiones in synodis sine jussu, præscitu, aut consensu Rom. Pontificis factas, neque postea ab eo confirmatas, vel approbatas fuisse. Nam hoc jus privative, vel saltem ad hoc suum consensum prætendunt Julius I, Innocentius I, Damasus epist. ad Stephan. et episcop. Afric. Leo M. Gelasius, Vigilius etc. quorum testimonia aliunde nota sunt, et jam alibi produximus. Adde testimonia scriptorum et Patrum supra allata.

Quidquid sit, saltem hoc inde conficitur, Rom. Pontifices tum ante, tum post concilium Nicænum, deposuisse episcopos, vel eorum depositiones ratas habuisse et confirmasse, vel etiam retractasse, et dum nulla lex positiva exstet, quæ illis hoc jus attribuerit, consequens est, illud primatui divino inexistere, falsas Isidori decretales antecedere.

Interim Isidorus nihilominus *falsarius* et *impostor* audit, quia in hac caussa multas decretales in favorem Pontificum finxit. Verum est, Isidorus erravit. At fors decipere noluit, sed ipse falsis inscriptionibus deceptus fuit, quod suo ævo ex defectu critices aliis quoque contigit. Attamen ista non attenduntur. De obscuranda vel eliminanda Rom. Pontificum potestate agitur : obstat Isidorus medii ævi scriptor : hic falsi sive sua, sive aliena culpa convincitur : igitur falsarius sive impostor nominandus est : hoc magnum pondus et impressionem affert, in suspicionem adducendi totam Pontificis potestatem. Modestius

de Isidoro sentire, hoc ævo nefas est. Neque mihi hunc virum defendere ullatenus mens est, quippe quamvis fors malitia, errore tamen non vacat. Hoc tamen repeto, quod et ipsi adversarii fatentur, et Petrus de Marca contra Blondellum affirmat, istas decretales, paucis exceptis, non in substantia et reipsa, sed solum nomine, quo inscribuntur, fictas esse, imo saltem ex scriptoribus quarti et quinti seculi desumptas fuisse. Neque adhuc certo constat, pauca illa excepta omnino et quoad substantiam conficta fuisse, cum multa scripta veterum interierunt, vel saltem ad nos nondum pervenerunt; unde sequitur, illas decretales ut plurimum saltem testari de disciplina quarti et quinti seculi, ideoque quæ isdem hodie innititur, eo ipso non statim novam aut falsam esse. Utquid ergo falsitates, impostura, usurpationes continuo jactantur? Confer. c. 3, § 9 in not. adde, depositiones episcoporum supra allatas, et a Rom. Pontificibus factas, Isidori decretales longe præcessisse, et iisdem neutiquam niti. Ad querelas magnorum virorum, ut ait Febronius, alibi respondebimus. Cogita interim violentias, impostoras et injustitias synodorum provincialium in Athanasium, Flavianum, Joannem Chrysostomum etc. etc. excretas, queis malis per reservationem via occlusa fuit.

Ad 1 et 2. Centies dicam: monarchia Ecclesiæ decretalibus Isidori neque innititur, neque inde probatur. Canones Sardicenses non quidem

reservationem caussarum episcopalium, verum nec simplicem *provocationis* speciem, uti fingitur, sed *jus anticipatum* in Rom. Pontifice supponunt, ac probant, de quo, suo loco. Conformiter ad hoc jus anticipatum reservatio dein aliis de caussis introducta fuit, quas c. 3, § 9 et hoc capite sæpe retulimus.

Innocentium III, quem alibi *audacem jurisperitum* vocat Febronius, hic quodammodo excusare vult, tanquam ab Isidoro innocenter deceptum, sed ipsum cum aliis Pontificibus vellicat, quod falsum systema rationibus *colorare* quæsierint. Id *colorari* debet, quod alias nulla firma ratione subsistere dignoscitur: Pontifices ergo pro suo infirmo systemate rationes quærere debebant, non habebant. Anne hoc dignum de tot, tantisque Pontificibus judicium est? igitur vel ignari, vel deceptores fuerunt.

Ad 3. Quæ temeritas, decreta Tridentini suspecta reddere, et correctioni submittere? quid amplius in Ecclesia firmum, sanctumve sit, si decreta concilii œcumenici tam facile explodi valeant? quicunque acta concilii Tridentini attentius legerit, patres et theologos inibi existentes non solis Isidori decretalibus, sed etiam studio veteris disciplinæ, traditione et SS. Patrum scriptis optime imbutos fuisse, facile advertet, quippe proferentes de thesauris suis nova et vetera. Neque Pontifex vel aula romana, sed ipsi episcopi hoc decretum et reservationem petierunt, atque per majora

suffragia concluserunt, uti multis enarrat Pallavicinus. Hinc pariter tria observanda oppono. 1. Reservatio depositionis ex hactenus dictis neque divino primatui, nec praxi Ecclesiæ adversatur, nec etiam a jure communi expresse excluditur. 2. Jus commune circa hoc, utpote in materia disciplinæ, variabile est, atque in concilio generali juste mutari potuit: hæc autem mutatio non in vim falsarum decretalium, sed aliis de caussis facta fuit: imo, si id etiam verum esset, mutatio nihilominus valide subsisteret, neque concilium inde emendationi subjaceret, quia concilium generale jus et potestatem habet talem mutationem inducendi, et sufficit, eam concilio necessariam, vel utilem visam fuisse, quibuscunque dein rationibus innixum fuerit, quippe judicium concilii de utilitate vel necessitate in materia disciplinæ omnes alias rationes supplet. 3. Galli maxime reformationem clamabant, urgebantque, volentes alios reformari, ipsi reformationem non admittebant, nec decreta reformationis recipiebant sub prætextu suarum libertatum. Episcopi quidem sæpius et instanter petebant receptionem Tridentini *quoad decreta reformationis*, utpote sanctissima et perutilia: obstabant parlamentum et proceres, quibus interdicebantur per concilium commendæ, beneficia ecclesiastica, aliique abusus; hinc cardinalis Ossatus libere edixit, tantum duo in Gallia esse hominum genera, quibus Tridentinum dis-

pliceret, primo hæreticos, qui ab omni concilio abhorrent, dein potentiores, dum tamen nihil in eo sit, quod officeret *juribus regiis* vel *Ecclesiæ Gallicanæ, nisi quis fortasse crederet, simonias, aliaque vitia et corruptelas esse Ecclesiæ Gallicanæ privilegia.* Pluribus hìc supersedeo. Cæterum videbimus mox infra, decretum Tridentini de reservatione depositionis statutis Ecclesiæ Gallicanæ neutiquam contrarium, nec novum fuisse, hinc oratoribus sese opponendi caussam non fuisse.

Ad 4 et 5. Dum Nicolaus I, cit. a Petro de Marca epist. 42 ad episcop. Galliæ, ait : *nunquam omnino præter scientiam nostram deponi debuit, quia sacra statuta, et veneranda decreta episcoporum caussas, utpote majora negotia nostræ definiendas censuræ mandarunt,* unde probat de Marca, Nicolaum P. *per statuta et decreta veneranda* intelligere Isidori decretales? num præter has non sunt alia genuina et certa statuta? an non potuit respicere illa decreta, quorum mentionem jam faciunt Julius I, epist. ad Antiochen. episcop. Damasus epist. ad Stephan. et episcop. African. Innocentius I, ad Victric. Rothomag. S. Leo epist. 12, item epist. 5 et 6, Sixtus. III, epist. 8, Vigilius epist. 7. Pariter dum Nicolaus P. etiam existimavit, nullam synodum absque auctoritate Rom. Pontificis celebrandam esse, imprimis id non de quibusvis synodis provincialibus, et in quibus ordinariæ

provinciarum ecclesiasticæ caussæ tractari solebant, intelligendum esse certum est; quippe tum ante, tum post Nicolaum utique synodi provinciales absque consensu et auctoritate Papæ celebrabantur, sed solum de iis synodis, in quibus majora negotia tractantur, de quibus ad apostolicam sedem relatio fieri debebat, ne illa sine hujus auctoritate definiantur : quoad prohibitionem autem harum synodorum Nicolaus P. etiam præ oculis habere non debuit falsas decretales, sed genuina acta, decreta et testimonia, ep. Julii I, qui ideo reprobavit synodum Antiochenam, quod deposuerit Athanasium, de quo *prius* ipsi scribendum fuisset : synodi Alexandrinæ sub Athanasio, ubi patres ad Felicem P. Liberii successorem scribunt, *nam scimus in Nicæna magna synodo* 318 *episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari, nec episcopos damnari.* Potuit denique præ oculis habere omnia illa statuta et effata, quibus edicitur, depositiones, majora negotia et episcoporum jurgia sine romanæ sedis judicio terminari non debere, de quo etiam antiquissimi scriptores Socrates, Sozomenus et Epiphanius testantur. Haud igitur necesse habuit Nicolaus P. ficta documenta respicere, quando vera et genuina suppeterent. Cæterum, moderni Pontificiæ potestatis adversarii Petrum de Marca solerter exscribunt, discipulis tanquam virum magni nominis deprædicant : fuit

equidem; attamen non semper vera, nec semper bene scripsit; quippe silentio premunt, eundem sibi ipsi non ubivis, præcipue *ubi de jurisdictione et immunitate ecclesiastica, cæterisque rebus et caussis ecclesiasticis* agitur, fidem præstare velle, dum quæ in his *Romanæ Ecclesiæ doctrinæ contraria scripsit*, ipse publice *damnavit, revocavitque* Barcinone 19 Augusti anno 1647.

Porro interpretatio verborum Gelasii ad episcopos Dardaniæ ineptissima et magni Bossueti ingenio profecto indigna est. Quis unquam hæc verba, *sua auctoritate prostravit, damnavit*, in eo, qui publica auctoritate et potestate fungitur, sic interpretatus est, quod fuerit tantum auctor damnationis? item quomodo dici potest, *vim ineluctabilem in eo sitam esse, quod Ecclesia tota suscepit*, quando claris verbis significatur, ideo *concilium* auctoritatem sedis apostolicæ fuisse *secutum*, et *Ecclesiam ejus judicium suscepisse, quoniam quod prima sedes non probaverat, constare non potuit?* utique contrarium potius pro ineluctabili vi auctoritatis apostolicæ perspicue eruitur?

Ad 6. Si ita est: sedes Romana et Pontifices de usurpationibus accusari non debent, sed ipsi Galliæ episcopi hujus reservationis caussa exstitêre: unde igitur conqueri possunt? hoc magis comprobatur ex epistola synodica concilii Tricassini ad Nicolaum I, anno 867, quæ sic habet: *vestri apostolatus exoramus magnificam beatitu-*

dinem, ut sapientissima indagine consideratis utriusque partis relatis, more beatissimorum prædecessorum vestrorum, quæ de statu sacri Pontificalis ordinis ab eis statuta, et imprævaricabili auctoritate firmata sunt, ut immota de cætero maneant mucrone apostolico quorumcunque metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa; quin etiam reliquorum episcoporum quorumcunque, audaci conniventia penitus submota, privilegia et decreta servari innovata constitutione decernatis, ita ut nec vestris, nec futuris temporibus præter consultum Rom. Pontificis de gradu suo quilibet episcoporum dejiciatur, sicut eorundem sanctorum antecessorum vestrorum multiplicibus decretis et numerosis privilegiis stabilitum exstat.

Hìc quædam observari merentur. 1. Fuerunt in hoc concilio præsentes omnes fere Galliæ episcopi cum sex metropolitanis et ipso Hincmaro Rhemensi. 2. Patres volunt, episcopum deponi non posse sine consensu Rom. Pontificis. 3. Hoc jus vel consuetudinem fuisse præcedentium Pontificum imprævaricabili auctoritate firmatum. 4. Ista decreta petunt *innovari* et *servari*. 5. Atque supprimi *temerariam præsumptionem* in deponendis episcopis. Ex his patet, Nicolaum Papam non primum in hac caussa innovasse, uti falso insimulat Febronius, dein reservationem depositionis ipsos Galliæ præsules expetiisse, et quidem non tanquam jus novum, sed in ve-

teribus decretis et consuetudine jam fundatum: causas hujus postulationis fuisse *temerarias præsumptiones*, et violentias metropolitanorum quorumdam, non ambitionem Rom. Pontificum. Patet ulterius ex hac synodo, reservationem depositionis non adversari libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, uti in Tridentino concilio oratores Galli asserebant, neque Galliæ Antistites huic reservationis juri obstitisse, adeoque eorum mentem nequaquam ex Hincmaro interpretandam esse, imo potius hujus violentias et repugnantiam in hac synodo suggillari.

Ad 7. Præter archiepiscopos et metropolitanos, quot simplices episcopos in Gallia numerat Febronius prærogativa Pallii decoratos? priores quidem Pallium ut plurimum non nisi ad instantiam et petitionem Imperatorum ac Regum impetrarunt, teste Barthel dissert. de Pallio. Ex posterioribus si qui sunt, ab uno, alterove actu singulari caussam universalem inducere non valet. Pontifices in reservationibus propriis juribus, dein necessitate vel utilitate Ecclesiæ innixi, hisce adminiculis non egebant. Num Patres synodi Tricassinæ supra cit. omnes Pallio insigniti erant? at hi reservationem depositionis *quorumlibet episcoporum* Pontifici non tantum asserebant, sed etiam exposcebant.

Ad 8. Gregorius IV, caussam Aldrici tum ante synodum ad sedem apostolicam confugientis, vel post synodum appellantis, potuit ad se

trahere non tantum in vim decretalium Isidori, sed jure sibi intrinseco primatus universalis, uti hactenus satis dictum fuit. Sic epist. ad episcopos universos ait : *non novum aliquid præsenti jussione præcipimus, — — cum nulli dubium sit, quod non solum Pontificalis caussatio, sed omnis S. religionis relatio ad sedem apostolicam, quasi ad caput ecclesiarum debet referri, et inde normam sumere, unde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omitti.* En ! quomodo Papa suum jus non in decretalibus Isidori, sed genuinis et iisdem ferme antiquissimorum Pontificum verbis usus, in primatu apostolico fundaverit. Vides etiam ex respons. ad num. 6. Gallicanos præsules, antiquorum canonum et disciplinæ, uti sæpe ait Febronius, tenacissimos, hoc jus non tanquam novum in Papa suspexisse, sed tanquam genuinum et numerosis decretis stabilitum expetiisse. Belle igitur Gregorius interpretabatur canones in sensu veterum Pontificum et ipsorum Gallorum antistitum. Attamen a vero abest, quod Gregorius omnem caussæ cognitionem in synodo excluserit, cum mox ante relata verba expresse dicat : *liceat illi post auditionem primatum diœceseos, si necesse fuerit, nos appellare.* Cesset igitur adversarius cavillari Pontificem.

Ad 9. Si jus sedem apostolicam appellandi etiam solis niteretur canonibus Sardicensibus, anne dignum, honestumque foret, ita ludificare : *privilegia Ecclesiæ Romanæ, antiqua qui-*

dem, si Superis placet, dein pluribus seculis deperdita, noviter bonis avibus recuperata? Num hoc est, *vastissimum campum impunitatis* episcopis aperire, quando dicitur, *privilegia hujus Ecclesiæ munimina sunt circa omnes impetus pravitatum*, si ipsa data sunt contra violentas oppressiones potentiorum erga inferiores? apage ineptias, et iniquissimas cavillationes! appellationes cum Nicolao P. neque cœperunt, neque per eas Galliæ præsules Romanæ sedi magis subjecti sunt. Quia tamen Nicolaus I, ut acerrimus harum appellationum vindex et promotor arguitur, hujus rei caussam certe sufficientem, gravemque invenies supra in concilio Tricassino episcoporum Galliæ, et quæ cap. 3, § 9, in not. de Hincmaro ex Christiano Lupo etc. retulimus, quo etiam maxime spectat caussa Rothadi Suessionensis, videbisque, episcopos extensionem, et liberum cursum appellationum prius expetiisse, quam Nicolaum vindicasse.

§ IX.

Erectio novorum episcopatuum nullo expresso juris textu, sed tantum observantia romanæ sedi reservatur.

A metropolitano et conciliis particularibus episcopatus erigi posse, omni jure scripto certum est. In Tridentino Pontificiæ reservationi nihil favet: in occidente tamen usus, auctoritate Romanæ

sedis erigendi episcopatus jam diu invaluit; occasionem dederunt missiones ad extraneos, praesertim post falsas decretales.

1. Antistites se hodie plerumque scribunt, *Dei et apostolicae sedis gratia episcopos*. Hic mos seculo XIV nondum erat usitatus. In sensu D. Gregorii M. epist. 36, apostolicae sedis gratia episcopi dici possunt, quia *ex D. Petri largitate pastores sunt*, idem quia, juxta Innocentium I, solus apostolus Petrus et ejus successores in occidente ecclesias instituerunt. Primi in Gallia hac formula usi sunt Narbonensis anno 1351 et Simon Turonensis anno 1365, quia, ut ait Thomassinus, *auctoritas metropolitanorum dimanavit a primatu S. Petri super episcopos, potestas vero episcoporum juris et institutis est divini*. Illa tamen non crude, sed de juribus archiepiscopali Pallio annexis intelligenda sunt.

2. Fors utilius foret in hoc pristinam disciplinam reducere, dum aliqui querantur, a romana sede non tot erigi novos episcopatus, quot instituti postularent populorum ad veram fidem conversiones. Talem accusationem anno 1762 in Gallia contra Jesuitas proposuit auctor libelli *Questions proposées à l'Auteur de l'appel à la raison*.

NOTA.

Si erectio novorum episcopatuum romanae sedi *observantia* reservatur, peto, a quo tem-

pore exstet illa observantia romanæ sedis novos erigendi episcopatus? certe Petrus multos instituit, pariter ejus successores, a quibus legimntur ordinationes episcoporum factæ per diversa loca, prout in vitis summ. Pontificum primis quatuor seculis diligentissime adnotatur, et Innocentius I, epist. ad episcop. Eugub. ait, *manifestum esse, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam et insulas interjacentes N. B. nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis apostolus Petrus, vel ejus successores constituerit sacerdotes.* Hæc igitur observantia a temporibus apostolorum ortum suum habuit: atque hoc jus divino primatui necessario inexistit; nam sicuti erectio novarum parochiarum ad episcopum spectat: ipse quippe debet cognoscere et invigilare, ut omnes dioecesani verbo divino et sacramentis provideantur, ut ubique idonei et sufficientes sint animarum pastores, ita primati et pastori universali necessario competit, invigilare et ordinare quod ad bonum regimen Ecclesiæ et multarum ovium est necessarium, nempe ut multi inferiores pastores sub uno rectore episcopo colligantur. Nullo igitur juris textu ad hoc opus est, quod jam a traditione apostolorum descendit, officio pastoris universalis inhæret, et de quo nunquam dubitatum fuit.

A metropolitano et conciliis particularibus episcopatus erigi posse, omni jure scripto certum est,

ait Febronius, citans duos textus ex decreto et decretalibus. Verum, ostendat id, absque præscitu, consensu vel auctoritate Rom. Pontificis fieri posse. Scimus, SS. Bonifacium in Germania, Augustinum in Britannia, aliosque instituisse episcopatus et cathedrales ecclesias, sed non absque auctoritate apostolica.

Ad 1. Dum Febronius jus erigendi novos episcopatus Romanæ sedi per subsequentes falsas decretales affingere non posset, convolat ad titulum *Dei et apostolicæ sedis gratia*, quo utuntur episcopi, utpote qui adeo antiquus non sit, et solum indicit, eos *D. Petri largitate* episcopos esse. Quocunque titulo utantur episcopi, tamen verum est, quod dixit Innocentius I, nullum in occidente, præter D. Petrum, ejusque successores, instituisse ecclesias, quod etiam de Germania et Britannia manifestum : non igitur ex titulo, sed ex facto authentico, quod jus præsupponit, res pensanda est. Saltus hi sunt, sed extra viam. Dein quo jure Febronius iterum Thomassinum invitum, et contra suam mentem interpretatur, quando hic ait, *auctoritatem metropolitanorum dimanasse a primatu S. Petri super episcopos*, quod Febronius non crude, sed *de juribus Pallii* intelligendum esse vult : nempe, quia hæc verba ipsi non favent, et in Papa nimiam atque exuberantem auctoritatem supponunt. At Thomassinus indifferenter de omnibus metropolitanis loquitur; non autem omnes, neque semper Pallio donati erant. Et

revera jura primatum et metropolitarum quid aliud, quam quædam participatio primatus universalis sunt?

Ad 2. Pristina disciplina, ut audivimus, fuit, ut episcopatus a D. Petro et ejus successoribus, vel saltem horum consensu et auctoritate instituerentur in occidente, et Febronius necquidquam contrarium probavit. Si ergo pristina disciplina reducenda erit, manebit, et nunc est, jus in Rom. Pontifice. Dum igitur in Europa nihil proficit, in Indias et Americas usque excurrit ibique Jesuitas exagitat. Hos sequi non lubet. Interim quicunque in illis partibus vel jam erecti sunt, vel adhuc erigendi episcopatus, auctoritatem apostolicam intercedere necesse est.

Febronius dum cerneret, se hoc § nihil omnino probasse, posterioribus tomis defectum supplere voluit. Sic tom. II, c. 4, num. 5, specialiter de hoc iterum disserit, sed mox in titulo graviter imponit, dum ait, *hanc observantiam in falsis decretalibus fundatam soli Rom. sedi reservari*, cum tamen, suffragante genuina decretali Innocentii I, ante hunc Pontificem jam nullus osteridi potest, qui in occidente fundarit episcopalem Ecclesiam, præter Romanos Pontifices.

Dein ait Febronius, primis temporibus etiam cæteros apostolos et episcopos fundasse ecclesias, etiam magnarum sedium episcopis et metropolitanis fuisse jus, mediante diœcesium divisione, in dissitis urbibus, quas difficulter regere poterant,

novas cathedras erigendi, et post hoc jus conciliis provincialibus attributum fuisse, tandem tacito consensu Pontifices sibi soli reservasse, atque in hoc si negligentia summus sedis intercederet, supplendam fore juxta can. 6, concilii Sardic. igitur juxta Febronium jus hoc ab apostolis, qui habebant plenitudinem potestatis, primum in magnarum sedium episcopos, dein ad concilia descendit : cur ergo in maximæ et summæ sedis episcopo, in quo etiam remansit plenitudo potestatis, non amplius et quidem præcellenter existat? Argumenta Febronii si subsistant, quivis episcopus haberet jus, novas dioeceses et ecclesias erigendi, instituendi, dum tamen antiquissimi canones tam severe præcipiunt, ut episcopus in sua dioecesi permaneat, ne alias provincias pervadat, aut extra suam dioecesim absque conscientia metropolitani ordinationes vel functiones hierarchicas perficiat. Qualiter episcopi tam arctis limitibus sine exceptione constringi potuissent, si jus habuissent, extra suam dioecesim novas ecclesias erigendi, episcopos in his ordinandi, aliaque perficiendo, quæ in fundando novi episcopatu sunt necessaria? Apostolos habuisse facultatem fundandi et erigendi ecclesias, usque episcopos præficiendi, et revera fundasse tales, nemo negat. Id quoque factum esse a discipulis apostolorum, pariter assentimur, verum hi in hunc finem missionem ab apostolis acceperunt, nulli antea certæ sedi et Ecclesiæ affixi. Sed post

apostolorum tempora quousque episcopatus instituti, limites determinavit, episcopos constituit etc.? De concilio provinciali id dici non potest: nam temporibus persecutionum, ubi fidelibus publica templa extruere nondum licebat, atque in privatis domibus et cryptis convenire debebant, tales congregationes fieri non poterant, nec adhuc dioeceses in certas provincias erant distributae, neque de metropolitanis dici potest, quippe hi nondum exstebant, exceptis solis patriarchis primaevis a D. Petro constitutis, episcopo vero, ut dixi, certis civitatibus et sedibus affigebantur, ubi praedicationi et conversioni fidelium debebant incumbere, neque gregem suum audebant relinquere, ne lupi rapaces eum invaderent.

Equidem haud dubium est, quin illi episcopi quandoque per se, vel per ferventes suos clericos excurrerint ad vicina loca praedicando evangelium, et conversionibus insistendo, ex quo si fidelium numerus in tantum excrevit, ut proprio indigerent episcopo ac pastore, communicato cum Ecclesia Matrice et apostolica consilio, inde episcopus cum assignatione dioeceseos ordinabatur. Quippe jam ab initio connectendo particularium ecclesiarum introducta fuit, ut istae cum sua matrice apostolica, quales solum primaevae patriarchales erant, et unde adhuc suum originem habuerunt, non modo communione colligarentur, sed et tanquam filiae matri subessent. Hoc manifeste colligitur ex can. 6. concilii Nicaeni, ubi

patriarchis apostolicis in ecclesias sui patriarchatus nulla nova potestas et jurisdictio tribuitur, sed jam præsupponitur et confirmatur, dum dicitur : *antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem etc.* eod. can. 6 ubi prohibetur, absque sententia metropolitani ordinari episcopum, concilium de hoc loquitur tanquam de re aliunde et certa : *illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit, episcopum esse non oportere.* Et concil. Antiochen. can. 9 ubi statuit, episcopum præter metropolitanum nihil agere debere, *nisi ea tantum, quæ ad suam diœcesin pertinent,* in hunc finem allegat *antiquam regulam : secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam,* quæ *antiqua regula* de concilio Nicæno intelligi non potest, utpote vix sedecim annis anteriore, et in quo fere iidem omnes, qui in Antiocheno, Patres sederant, tum etiam quia hic canon Antiochenus cum Nicæno non plene convenit, in quo solum prohibetur ordinatio episcopi sine consensu metropolitani, in illo autem generaliter episcopo nihil omnino agere permittitur, nisi quæ ad propriam diœcesin pertinent.

Ex his sequitur, jam ante concilium Nicænum saltem antiquam consuetudinem, vel omnino aliquod præceptum exstitisse, ne episcopi

absque consensu primatis alios episcopos ordinarent; unde multo minus propria auctoritate episcopatus novos erigere poterant : quare hoc jus initio solis patriarchis apostolicis competebat; quippe, ut ait Thomassinus part. 2, lib. 1, c. 24, etc. Initio episcopi fuêre sine metropolitanis, donec christianorum numerus ita augeretur, ut pluribus episcopatibus institutis formari posset provincia quædam ecclesiastica. Postea constitutis metropolitis, sicut ipsis permittebatur neo-electorum episcoporum confirmatio, sic a consequenti dum in novo aliquo loco constituendus erat episcopus, id eorum auctoritate quoque fieri debuit, adjuncto tamen concilio provinciali, quia aliorum sæpe etiam episcoporum intererat, non tantum ubi dividebantur diœceses, sed quando etiam novo episcopatui limites præscribendi erant.

His consideratis facile concluditur, jus erigendi et constituendi novos episcopatus et episcopos post apostolos primitus in solis patriarchis apostolicis permansisse, ab his non invitis, sed permittentibus et ordinantibus ad metropolitanos, et concilia provincialia successive manasse. Num igitur patriarchæ hoc jus primitus sibi debitum non amplius ad se revocare potuerunt? an ab hoc jure excludere potes Rom. Pontificem, cui tanquam rectori et pastori universalis Ecclesiæ longe specialiori modo debetur? omnes tres primævi patriarchæ quasi unam tenent cathedram apostolicam, quorum principale caput

Romanus Pontifex est. *veteres patriarchæ tres*, ait S. Gregor. M. l. 5, epist. 60 et lib. 6, epist. 37. *in una, eademque apostolica sedent cathedra, et præsident, qui Petri sede omnes succedere, Ecclesiæque suæ, quam unam in unitate fidei fundavit Christus, dedit et caput unum, quod tribus præcipuis totum regiarum urbium præsideret cathedris, ita ut tres iste sedes unitatis vinculo necterentur indivisibili, ecclesiæque veteres cum capite structissimo nexerent, quod caput divinitus institutum est, ut sit totius corporis unitatis.*

Apostoli ergo multo erigebant episcopatus, in quibus suos vel Christi Domini discipulos instituebant episcopos: hoc jus dein ob plenitudinem potestatis primatio remanet in Petro, dein in patriarchis, quorum Ecclesiæ idcirco matrices vocabantur, utpote per quos cæteræ fidei semina et formam receperunt: crescente tandem undique fidelium numero per diversas provincias, exigente bono Ecclesiæ, jus illud a patriarchis ad metropolitanos et concilia provincialia remissum fuit.

Nos igitur non dicimus, erectionem sedium episcopalium Rom. Pontifici ubique soli, et semper reservatam fuisse; sed contendimus, novas sedes episcopales creare, non esse munus inferiorum, sed supremæ hierarchiæ, concilia provincialia jus istud dilatata religione a primævis patriarchis recepisse, ad quos primitus solos pertinebat, inter hos autem principi et capiti to-

tius Ecclesiæ quam maxime convenire, a S. Petro, ejusque successoribus propria auctoritate exercitum fuisse, dumque ad munus supremæ vigilantiæ et curæ pertineat, ab his denuo revocari et reservari posse.

Cum Thomassinus censura notaretur, quod diceret, missiones ad extrancos occasionem dedisse reservationi creandi novos episcopatus, qua facultate prius gaudebant concilia particularia, ex quo sequeretur, quod Rom. Pontifex ex occasione tantum, non ex se hac potestate gaudeat, vir ingenuus ad n. 4 respondit, per verbum *occasione, non dari potestatem Pontifici, quæ abesset, sed prodi, promique, quæ inesset : non ergo eam potestatem a conciliis provincialibus vel accepit, vel extorsit Rom. Pontifex, sed quam semper habuerat, semper alicubi exercuerat, eam, supersedentibus conciliis provincialibus, cœpit ubique terrarum solus exercere.* Notet Febronius hanc responsionem Thomassini, dum ipse pariter hoc jus tantum *per occasionem* Rom. Pontifici accessisse affirmat.

Cæterum, dum sæpius dixi, jus erigendi novos episcopatus primitus penes solos patriarchas apostolicos exstitisse, inde non sequitur, illud ad primatum Petri non pertinere, quin ad primatum pertinere inde potius probatur. Quippe hoc patriarchis competebat ob eminens munus hierarchicum, curam et superintendentiam in magnas provincias : quidquid autem juris et curæ habe-

bant primævi illi patriarchæ, a Petro fundatore et auctore suarum sedium participabant (nam alia origo monstrari non potest) ergo multo magis ipse Petrus, supremus hierarcha, ob universalem regiminis ecclesiastici curam, illud habebat jure intrinseco primatus. Quando igitur jus istud a Rom. Pontifice et patriarchis ad concilia provincialia transmissum est, his vel cessantibus vel abutentibus, merito et per se iterum eo revertitur, unde originarie provenit; hinc neutiquam, uti Febronius putat, hæc disciplina, invito Pontifice, mutari potest, dum illud jus in eodem primario et proprie inexistat.

Porro privatos episcopos propria auctoritate novos instituisse episcopatus, Febronius nullo convincenti testimonio probare potest. Exempla, quæ adfert, non sunt ad rem. S. Photinum a Polycarpo missum Ecclesiam Lugdunensem fundasse, nondum certum est. Nam etsi verum est, quod Polycarpus missionarios miserit in Galliam ad prædicandum evangelium, nondum sequitur, quod ibidem erexerit sua auctoritate episcopatus et absque interventu Rom. Pontificis: certe huic opinioni contradicit Innocentius I, epist. ad Decent. Eugub. provocans ad sui ævi communem traditionem, atque jam antea a D. Petro SS. Lazarum, Maximinum, Martialem, Crescentium, Saturninum, Trophimum in Galliam missos, et episcopos ordinatos fuisse, traditur. Dein Polycarpus non erat privatus episcopus, de quibus modo loquimur,

sed totius Asiæ primas, quippe sedes Constantinopolitana in patriarchatum nondum erecta erat. Idem dicunium de S. Gregorio Thaumaturgo, quippe aliud est, præcones mittere, ad prædicandum evangelium, aliud in locis, ubi fides plantata est, episcopatus erigere, quod dein certe legali auctoritate factum fuit, necnon hoc Febronius non simpliciter asserere, sed etiam probare deberet. Ipse Gregorius in propria diœcesi multa mensas et maximum labor incubuit, quando in episcopatum promotus in eo non nisi 17 invenit catholicos, et numerus totidem adhuc reliquit infideles. Athanasius utique patriarcha Alexandrinus erat, cui jus erigendi episcopatus competebat. Idem dico de S. Remigio, metropolita Rhemensi, quippe dilatata religione et multiplicatis provinciis, jus istud metropolitæ cum suis concilio transmissum fuisse non negamus. Augustinus rem cum primate Numidiæ tractabat, et synodus Toletana XII, si in auctoritatem admittatur, directe contra Febronium pugnat, dum episcopatum a solo episcopo Emeritensi, etsi jussu Regis erectum destruit, et exsufflat. Denique quid hæc ad nos, qui non dicimus, Papam omnes omnino episcopatus erexisse, sed solum eum a primis temporibus plurimos erexisse, hoc jus ad ipsum principaliter et specialius pertinere, adeoque ad eum juste et recte per reservationem reversum fuisse.

Actum agit Febronius, dum contra hactenus dicta tom. IV, quædam excipit, scilicet 1. Si

Petrus patriarchis orientis jus constituendorum episcopatuum dimisit, num fors S. Paulo etiam illud concessit, qui plures in oriente instituit? 2. in occidente Colocensis archiepiscopus in Hungaria seculo XIII, monasterium in episcopatum erexit, neque de ulla Papæ commissione constat. 3. Patriarchatuum fines non a Petro, sed a synodis Nicæna et Constantinop. II, discreti sunt, atque ab his jus et auctoritatem acceperunt. 4. Metropolitanorum jura et fines pariter non debentur Rom. Pontifici, sed sacris canonibus, maxime conciliaribus, consensui et cessioni episcoporum. 5. In epistola Innocentii I, ubi Alexandro Antiocheno scribit, quod sicut metropolitas, ita et cæteros episcopos vel ipse ordinet, vel non sine suo consensu ordinari sinat, *lex* fingitur, ubi nuda responsio est *ad sciscitationem*.

Profecto objicit, quæ nemo negat, vel alias manifesta in alium sensum cogit atque detorquet. Sic ad primum quis unquam dixit, Paulum a S. Petro obtinuisse jus instituendi ecclesias atque episcopos? Paulus sicuti cæteri apostoli a Christo acceperunt plenitudinem potestatis fundandi ecclesias, constituendi pastores, et functiones hierarchicas exercendi: attamen sola plenitudo potestatis, quæ in Petro fuit, in ejus successores manavit, a cæteris apostolis in successore non manavit, ideoque Ecclesiæ ab apostolis constitutæ mox quoad potestatem limitatæ et primæ cathedræ seu Petro subordinatæ fuerunt, teste Optato

Milevit. lib. 2, de schismat. Donat. n. 11. *In urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus, —— in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* Ergo post apostolos in solis Petri successoribus remansit potestas fundandi ecclesias, constituendi primarios pastores, quod præcipuum munus apostolicum atque supremum hierarchicum fuit.

Ad 2. Quia non legitur, Collocensem archiepiscopum licentiam aut consensum Roma petiisse, vel quia antea de hac reservatione Papali nullus textus apparet, nondum sequitur, illam erectionem episcopatus absque consensu apostolico factam fuisse; non enim omnia, nec semper omnes circumstantiæ in publicis actis ubivis notata sunt, neque de hac reservatione specialem textum existere necesse est, quando jam anteriori et longæva observantia roboratur. Quidquid sit, illa episcopatus erectio saltem in cit. a Febronio c. 16, X, de major. et obed. a Gregorio IX confirmatur, quod superfluum foret, si hæc caussa ad Papam nullo modo pertineret.

Ad 3. Concilia Nicænum et Constantinopolitanum neque addunt, neque demunt patriarchis Romano, Alexandrino et Antiocheno aliquid de suis ecclesiis et finibus, sed tantummodo indicant

pristinos secundum antiquam consuetudinem, idem est de potestate et juribus patriarchalibus : *antiqua consuetudo servatur*, ait sæpius citat. concilium Nicænum, similiter Constantinopolitanum solum ad *canones Nicænos* se refert. Neutrum igitur concilium discrevit, aut novos præscripsit limites, sed pristinos indicat, neque patriarchis jus aut auctoritatem confert, sed in hoc antiquam consuetudinem observari præcipit. Ergo patriarchæ ab his conciliis neque jura, neque limites receperunt, sed jam consuetudine tenuerunt. Unde autem hæc consuetudo? consensu, ais, et cessione episcoporum : de patriarchis *ecclesiasticis* Constantinopolitano et Hierosolymitano, quorum ille seculo IV, hic seculo V, ad hanc dignitatem evecti sunt, id verum est, non enim, nisi cedentibus et consentientibus episcopis, hanc dignitatem obtinuerunt. At de patriarchis *primævis* et *apostolicis* Alexandrino et Antiocheno unde probas? ubi, quando consensus et cessio illa obtinuit? quando hi patriarchatus cœpere? certe dum de tali cessione non constet, concilium Nicænum suo ævo jam antiquam consuetudinem adpellet, et horum patriarchatuum initium ad apostolorum usque tempora assignari non possit, D. Augustini regula obtinere debet, nempe traditionem apostolicam esse; hæc autem traditio et institutio profecto a nemine apostolorum, quam a D. Petro, qui has ecclesias fundavit et primos ibi episcopos constituit, provenire potest : hoc ergo jus non

cessione et consensu episcoporum, sed privilegio Petri obtinuerunt. *Vultis scire*, Nicolaus I, respons. ad Bulgaros, *quot veraciter sint patriarchæ? veraciter illi sunt habendi patriarchæ, qui sedes apostolicas per successiones Pontificum obtinent, id est, qui illis præsunt ecclesiis, quas apostoli instituisse probantur, Romanam scilicet, et Alexandrinam et Antiochenam, — — nam Constantinopolitanam ecclesiam nec apostolorum quisquam instituit, nec Nicæna synodus ejus mentionem ullam fecit, sed solum favore principum, qua ratione patriarcha ejus Pontifex dictus est.* Constantinop. patriarchæ ergo et cæteris patriarchis ecclesiasticis initium et tempus institutionis assignari potest; primitivi et apostolici ad tempora apostolorum reduci debent, et dum solus Petrus horum institutor et auctor fuit, etiam a solo Petro jus suum et auctoritatem obtinuerunt, quamvis certos limites fors iisdem non præscripsit, dum adhuc dilatanda foret Ecclesia, sed ipsi circa hos inter se convenerunt.

Ad 4. Metropolitanus et eorum juribus possumus initium iterum et originem assignare. Sed quæro, ubi, in quo erant illa jura, antequam provinciæ dispartitæ atque erectæ, dein metropolitæ instituti sunt? utique non in singulis episcopis, quia non sunt jura æqualium, sed superiorum respective ad inferiores, nec quivis episcopus in alios superior erat: neque in conciliis provincialibus vel aliis particularibus, quia nondum divisis

et institutis provinciis, talia non habebantur, vel solum apud patriarcham colligebantur, qui etiam sine concilio hæc jura exercebat, potestate a suo auctore et fundatore D. Petro accepta; siquidem certum est, patriarchas primitus omnia jura metropolitanorum per se ipsos exercuisse. Quod vero postmodum concilia metropolitanis inferioribus confirmaverint, explicaverint, et observanda esse sanciverint hæc jura, utique a patriarchis ad illos jam remissa, non sequitur, ea ab his conciliis fuisse instituta, et metropolitas ab illis accepisse, quippe ordo hierarchicus jam tempore apostolorum constitutus erat, ut episcopi et Ecclesiæ inferiores *matricibus*, seu patriarchis, omnes autem divino primatui subessent. Profecto imaginaria est illa cessio et consensus episcoporum : jura metropolitanorum, ut verbis Thomassini utar, nil nisi flosculus divini primatus sunt : episcopi jure divino primatui Petri subdebantur, dumque hic ubivis per se sua jura exercere non posset, partem illorum pro ordine et bono Ecclesiæ in patriarchas transfudit, ab his dilatata religione ob eandem rationem in metropolitas per certos tractus constitutos manavit. Concilia postmodum hanc facultatem metropolitanis asseruerunt, confirmarunt, vindicarunt, non novum jus constituendo, aut conferendo, sed tantum observantiam ejus, quod illi jam habebant, urgendo; hinc ubivis concilia in his ad antiquam consuetudinem et canones Patrum se referebant. Roncaglia ex Thomassino

probat, jam post seculum quintum eam viguisse disciplinam, ut ad novos erigendos episcopatus expressus etiam Romani Pontificis consensus expeteretur, cujus rei etiam multas caussas affert; verum hæ omnes neutiquam cessionem episcoporum, sed primatum Pontificis pro fundamento habent.

Ad 5. Innocentius I, cit. epistolam sic finit: *gravitas tua hæc ad notitiam coepiscoporum vel per synodum, si potest, vel per horum vocationem faciat pervenire, ut communi omnium consensu, studioque firmentur.* Ipse Febronius c. 2, § 8 et alibi concedit, decreta Pontificia taliter promulgata et acceptata vim legis habere. Ad quid promulgatio consilii aut responsi privati præcipitur? nec tibi dubium moveant verba, *ut communi consensu, studioque firmentur.* Hæc, ut jam c. 2, § 8, tum alibi ostendi, non ad intrinsecam, sed extrinsecam legis firmitatem, observantiam et executionem pertinent.

§ X.

Quod in erigendis episcopatibus, idem at in novis metropolibus et ecclesiis primatialibus instituendis juris est.

Post falsas decretales circa seculum X, Pontifices coeperunt sibi hoc jus reservare, non sine

murmuratione episcoporum. Cum Joannes IX in Sclavorum terris metropolitanum instituisset, conquestus est Juvaviensis archiepiscopus cum aliis episcopis.

1. Fictæ decretales pro hac reservatione prostant in decreto Gratiani, nempe epistola Clementis I ad Jacobum fratrem domini, et epistola secunda Anacleti P.

2. Gregorius VII, erigendo Lugdunensem ecclesiam in primatialem, se fundat in duabus his supposititiis decretalibus.

3. Quia hoc vergebat in præjudicium aliarum metropolium, hinc illa quærela S. Bernardi l. 3. de consid. cap. 4. *murmur loquor, et querimoniam ecclesiarum. Truncari se clamitant, ac dimembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? subtrahuntur abbates episcopis, episcopi archiepiscopis, archiepiscopi patriarchis, sive primatibus.* Hîc agitur de episcoporum a potestate suorum metropolitanorum et conciliorum provincialium exemptione, quidquid in contrarium memoret Thomassinus P. 1, l. 1, c. 48.

4. Proposita aliquoties in Gallia quæstione de constituendo intra fines regni patriarcha, creditum a nonnullis, ad hoc consensum romanæ sedis æque parum desiderari, atque ad Constantinopolitani et Hierosolymitani patriarchatus erectionem Romanorum auctoritas fuit desiderata.

Ast inepte. Orientales illi patriarchatus ibi a pari cum nostro occidentali ibant, habebantque singuli separatos fines. At si ageretur de novo patriarchatu excitando intra fines hujus nostri occidentalis cum attributione verorum jurium patriarchalium, et respectiva diminutione eorum in romano, non posset id *regulariter* fieri, patriarcha romano rationabiliter invito, salvis iis, quæ *extra* ordinem pro re nata statui posse memorabimus. cap. 9, § 4. Sermo hìc est de *vero* patriarchatu, non de *minoribus* patriarchatibus, uti Aquileiensi, Veneto, Ullyssiponensi etc., qui potius *primatibus* accensendi sunt.

NOTA.

Utique idem in erigendis metropolibus, quod et in novis episcopatibus juris est, quippe totum hoc jus originarie in patriarchis, et inter hos principaliter in Rom. Pontifice residet, a quibus in metropolitanos postea omne, quod habent, jus descendit; hinc recte ait D. Barthel cap. 4, n. 8, Dissert. de Pallio. Archiepiscopatum *apostolici primatus participationem et imitationem importare.* Repeto, quod superius dixi, quis primos metropolitanos instituit? quis provincias ordinavit atque distinxit? an sibi ipsi honorem sumpserunt? tales insanias nemo somniabit? an fors in concilio aliquo metropolitarum institutio, jura, provinciarum distributio

constituta sunt? at ubi? in quo? ostende tale concilium : synodus Nicæna, Sardicensis, Antiochena, Laodicensis etc. de metropolitis tanquam jam constitutis mentionem faciunt, et in hoc se ad *antiquam consuetudinem* et *statuta Patrum* referunt.

Ab initio totum regimen Ecclesiæ penes tres patriarchas apostolicos, Romanum, Antiochenum et Alexandrinum erat, ita tamen ut horum princeps et caput D. Gregorius M. teste loco supra cit. solus Romanus esset, et tum quidem archiepiscoporum et metropolitanorum nomina ne quidem nota erant. Exin, multiplicatis episcopatibus per longe dissitas provincias ad bonum ordinis, unitatisque conservandæ instituti sunt inferiores primates et metropolitæ. Nequaquam autem verisimile est, neque probari potest, eos aliunde, quam a patriarchis primitus institutos fuisse, utpote a quibus illis sua jura quodammodo communicabantur, et patriarchis subesse debebant.

Hæc ex veteri disciplina etiam haud obscure eruuntur. Sic Innocentius I, epist. 24 ad Alexandrum patriarcham Antiochen. scribit : *sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu, vicinos autem si æstimas, ad*

manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Vix non omnia verba systemati Febroniano adversantur. Primo hìc clare patet *reservatio consecrationis et confirmationis* omnium episcoporum patriarchæ subditorum, sic ut nullum permittat etiam in longe dissitis locis episcopum solum arbitratu reliquorum episcoporum ordinari, sed ut hoc fiat suo permissu datis litteris, vel ut, viciniores saltem, ad se pro ordinatione venire faciat. Rationem dein hujus reservationis addit Innocentius P., *quorum enim te maxima cura exspectat, præcipue tuum debent mereri judicium.* Hæc *reservatio* et *caussa reservationis* suum fundamentum utique non habent in falsis Isidori decretalibus. Ulterius dum Pontifex ait, *ordinationem metropolitanorum* ad patriarcham Antiochenum *singulariter* pertinere, quomodo metropolitanus etiam novus sine consensu et auctoritate patriarchæ institui potuit, si ab eo specialiter debuit ordinari et confirmari?

Idem patriarcha Antiochenus ulterius sciscitabatur: *si, divisis imperiali judicio provinciis, duæ metropoles fiant, utrum duo etiam metropolitani episcopi debeant nominari?* respondit Innocentius I, *non esse e re visum est, ad mobilitatem necessitatum humanarum Dei Ecclesiam commutari.* Quæro nunc, cujus auctoritate illo ævo metropoles fuerint erectæ, et cui jus istud principaliter competat? quando etiam ipsi patriarchæ orientis in dubio circa erectionem novæ

metropolis ad Rom. Pontificem recurrebant. Hæc autem responsa non mera consilia, sed vera statuta auctoritate apostolica condita esse, superiori paragrapho dictum est, eo quod Innocentius patriarchæ injungat, illa legitime promulgare, ut ab omnibus observentur. Interim cogita, hæc a Rom. Pontifice in oriente, et alieno patriarchatu statuta fuisse.

Quidem episcopi ausi fuerant, unam provinciam in duas dividere, et in hunc finem litteras imperiales impetrarunt, ita ut hoc facto duo fuerint metropolitani in una provincia. Concilium Chalcedon. hoc improbavit sub pœna depositionis can. 12. *Statuit ergo S. synodus, de reliquo nihil ab episcopis tale tentari, aliaquin qui hoc admisus fuerit, admissioni gradus proprii subjacebit.* Vides, in erigendis metropolis et divisione provinciarum ecclesiasticarum nec episcopos provinciæ aliquid posse, nec auctoritatem magistratuum civilium et principum valere. Igitur hoc jus ad altiorem ordinem ecclesiasticum pertinet, nempe ad prærogativam primatus. Quis ecclesiam Thessalonicensem in primatualem totius Illyrici erexit, nisi solus Papa Siricius, vel ut alii volunt, Damasus? Narbonensis in Gallia episcopus jura primatis Arelatensis sibi usurpavit: repressit illum Zosimus, et jura Arelatensi confirmavit. *Quia redire in ordinem suum intermissa præcipimus, metropolitanus Arelatensis in utraque Narbonensi et*

Viennensi inviolabili auctoritate possideat. Epist. 5 ad episcop. Galliæ. Idem Papa Zosimus epist. 1 et 6 ait, Trophimum a sede apostolica missum hanc prærogativam primatis in Galliam intulisse. Eu! a quo proveniant jura primatum. Cœlestinus I Hibernis dedit primum archiepiscopum Patritium. S. Leo M. collisus cum Hilario Arelatensi jura metropolitana ab ecclesia Arelatensi ad Viennensem transtulit, mortuo autem Hilario Arelatensi, ecclesias suffraganeas restituit, exceptis quatuor, Valentina, Tarentasiensi, Genevensi et Gratianopolitana, quas Viennensi reliquit. Pluribus, quæ afferri possent, exemplis supersedeo.

Ex his jam patet, penitus a vero aberare, quod Febronius mox initio hujus paragraphi asserere audet, *ante falsas decretales nihil plane invenitur, quod hac in parte prætensionibus ultramontanorum faveat*, cum ipse nequidem ad verisimilitudinem ostendere possit, a quibus primis quatuor seculis metropolitani fuerint instituti, ordinatæ ac distributæ provinciæ, si Rom. Pontificem et primævos patriarchas velit excludere. Neque hic denuo subdole insinuet, Rom. Pontifices *occasione* missionum instituisse novas metropoles; nam respondeo ut supra cum Thomassino: ergo saltem jus ad hoc habuerunt, quo *data occasione* usi sunt. Per *occasionem* non *dabatur Pontifici potestas, quæ abesset, sed proditur, promiturque, quæ inesset.* Profecto si Po-

Isidoro Virgilio fides, tota in metropolitanis instituendis et erigendis auctoritas a D. Petro descendit. Sic enim habet lib. 4, invent. cap. 12, *jam inde ab initio, quum ubique fere gentium flamines sacerdotes præessent, et illis alii, qui archiflamines, id est, primarii sacerdotes nuncupati sunt, ad quos sacrorum omnium ratio referebatur, placuit, auctore apostolo Petro, sicut D. Clemens in sua christianæ religionis compendiario libello perhibet, ut similiter in singulis gentium, quæ religionem impostorum complectebantur, civitatibus in locum flaminum episcopi substituerentur, et in qualibet provincia archiflaminis vice archiepiscopus constitueretur, cui reliqui illius religionis episcopi subessent.... Hi archiepiscopi, modo primates, modo gratia vero patriarchæ, hoc est, Patrum principes dicti.*

Ad 1 et 2. Responsio præoccupata jam fuit. Falsæ decretales non dabant jus reservandi, sed hoc jus in Rom. Pontifice jam præexistebat primo et primario, et dum Pontifices falsas decretales in hunc finem allegabant, in hoc tamen falsæ non erant, et saltem de jure et praxi quinti et sexti seculi testantur.

Ad 3. An ergo Thomassinum diligentissimum veteris disciplinæ perscrutatorem desert Febronius, nempe quia ipsi non favet. Num vero existimat, majorem sibi, quam Thomassino fidem habendam fore? attamen nec Bernardum, ut sibi blanditur, propatrum habet. De jure hic

quæritur, non de facto : si de facto sermo est, admitto, episcopos nonnunquam contra dismembrationem provinciarum, exemptiones et privilegia murmurasse, verum de hoc ipso adhuc quæritur, utrum istæ querelæ fuerint justæ? et si talia a conciliis provincialibus perfecta fuissent, num fors minus murmurassent episcopi, quorum limites fuissent constricti? contra diminutionem finium et jurium suorum querebantur, potestatem et jus non negabant. Sic D. Bernardus mox post verba a Febronio relata, ita prosequitur : *mirum si excusari valeat vel opus, sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non ita : facitis hoc, quia potestis, sed utrum et debeatis, quæstio est?* si igitur D. Bernardum hoc loco etiam de erectione novarum metropolium vult intelligere Febronius, respicere debuisset quoque ad immediate subsequentia, et vidisset, Bernardum Rom. Pontifici non jus negare, imo manifeste asserere, et solum abusum juris perstringere. Cur ergo truncavit textum? audiat postheo iterum D. Bernardum epist. 131 *Plenitudo potestatis super universas orbis ecclesias singulari prærogativa apostolicæ sedi donata est : qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt, potest vos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit.*

Ad 4. Juvat causam et finem hujus consultationis propius intueri. Cardinalis Richelius, postquam Urbanum VIII, cum Ludovico XIII, jamjam collixerat, ad apicem potentiæ eluctatus, ut in ecclesiasticos quoque omnes dominari posset, legatus sedis apostolicæ per Gallias a Papa constitui petiit, sed non obtinuit. Conabatur nempe, ordinis religiosos antiquiores sibi subjicere, et sic hanc partem cleri saltem sibi devinctum tenere, jamque Clunacensium, Cisterciensium et Præmonstratensium supremus præses electus fuerat, at extra Galliam abbates nolebant eum agnoscere, et Papa bullam confirmationis negabat. Irritatus hisce Richelius, atque Urbano Papæ ostensurus, quem haberet, per decretum consilii regii prohibuit expeditiones Romanas, aurumque trans Alpes multi, per certos prælatos postulavit, annatas remitti aut saltem minuiri. Dein omnes impendit vires, ut concilium nationale congregaretur, in quo pro Gallia eligeretur patriarcha, quem se fore certa spe sibi promittebat, exaggeratis in hunc finem curiæ Romanæ erga regnum procedendi modis, motusque gravaminibus. Mem. chronol. ad annum 1639. Prodiit anno sequenti libellus sub titulo : *Optati Galli de cavendo schismate liber paræneticus ad ecclesiæ Gallicanæ primates, archiepiscopos et episcopos.* In hoc auctor ostendit, rem ad schisma, Anglicano haud absimile tendere.

Richelius cum in notitiam auctoris venire non

posset, seque præcipue tangi cernens, librum condemnari curavit a Gondio archiepiscopo Parisiensi, tanquam falsum, scandalosum, turbantem pacem publicam, et inspirantem aversionem a Rege et ejus ministris sub pretextu timendi schismatis, cui censuræ sex alii præsules subscripserunt, et liber etiam decreto Parlamenti a Carnifice lacceratus et exustus est. Præterea Richelii mandato quatuor ad librum confutandum sunt designati, ubi unus ex iis contendebat, creationem Patriarchæ nihil commune habere cum schismate, neque consensum Romæ magis esse necessarium, quam ad erigendum patriarchatum Constantinopoli aut Hierosolymis. En! causam et motiva hujus consilii atque deliberationis.

Verum, quem in finem proprius *patriarcha* cum veris juribus patriarchalibus constituendus erat? nisi ut omne illud jus et jurisdictio, quæ nunc a Rom. Pontifice exercetur, in hunc patriarcham transferretur, et Papæ fors unica relinqueretur prærogativa honoris et præcedentiæ absque omni vigore et potestate. Attamen hoc ipso sequitur, illis ipsis, qui hanc deliberationem inierunt, persuasum fuisse, necessarium esse in Ecclesia aliquod caput, in quo suprema potestas et jurisdictio resideat pro regimine exteriori Ecclesiæ, hoc tantum discrimine, quod illud jus a capite legitimo ad arbitrarium aliquod, et quod ipsi sibi constituerent, transferre volebant.

Dein a quo ille novus patriarcha sua jura re-

cipere debebat? a Rege : sed princeps laicus spiritualia jura dare non potest. Ab episcopis regni : at hi tale jus non habent. A Rom. Pontifice : hic fuisset jure invitus, neque quæ sunt primatus divini dimittere potest. Ab Ecclesia : at hic rursum intercedere debuisset consensus Rom. Pontificis; et num credibile est, cætera per Europam regna et episcopos consensum præbituros fuisse? an non eodem titulo atque prætextu quælibet sibi proprium patriarcham cum eadem auctoritate postulare potuissent? et ecce unionem deperditam, centrum abjectum, et januam universali schismati apertam!

Denique huic qualicunque novo patriarchatui deficerent notæ veri et primævi patriarchatus, nempe *apostolicitas* et *depositum traditionis*, quibus auctoritas veterum patriarchalium sedium innitebatur. Eveniente igitur dubio vel difficultate, traditio non ex proprio depromi posset, sed aliunde mutuanda foret. Dein quis credat, cæteras ecclesias alicubi non minus aspectabiles, vel etiam antiquas patriarchæ Galliæ semper fore consensuras, vel hujus sensui cessuras? profecto hæc non nisi seditiones in Ecclesia, scandala et schismata spirant. Necdum Febronius sibi satis consuluit, quando talia *extra ordinem* fieri admittit. Schisma in Ecclesia semper est malum maximum, quod facere nunquam licet: hæc autem si non directe schisma invehunt, saltem proxime ad illud viam sternunt, de quo dicemus cap. 9.

§ IX.

Nullum juris monarchici attributum per totam Ecclesiam Romanæ sedi adhærere, adversus cardinalem Orsi singillatim demonstratur.

Attamen in negotiis universam ecclesiam concernentibus Papa tanquam primas extra concilium multum valet, præsertim sui negatione assensus.

Luce meridiana nunc clarius patet, ex omnibus Pontificis reservatis, quæ *caussæ majores* dicuntur, nullum primatui Papæ naturaliter et ab instituto inhærere : hæ sicut *minora negotia* ex institutione Ecclesiæ, et Salvatoris concessione ad episcopos pertinent : quomodo ergo hi tantum in partem sollicitudinis a Papa, et non auctoritatis a Christo vocati dici possunt?

Recte dixit Bossuetus de potest. eccles., l. 13, c. 15, *non ex proprio cerebro, vanisque ratiocinationibus christianæ reipublicæ formam effingendam esse, sed scripturis et traditione demonstrandum, ecclesiasticam monarchiam sub Christo, præcipuo monarcha, constitutam esse, quod falsissimum est.* Orsus monarchiam ex scriptura et traditione demonstrare non valens, eam *ab effectibus* probat, nempe Rom. Pontifici competere jus ferendarum *legum* et *pœnarum*, jura supremi *judicii* et constituendorum *magistratuum*, jus universalium *comitiorum* seu *conciliorum*, et immunitatem ab omni *judicio humano.* Alia, quæ Pon-

tifici largiretur, jura majestatica non habuit. Æquus lector judicet, utrum, consideratis Febronii momentis, vel umbra status monarchici in Ecclesia remaneat.

1. Pontifex potest leges proponere, quæ dein consensu et receptione Ecclesiæ suum vigorem obtinent, uti dictum c. 2. At ferre non potest, uti dicetur c. 5. Hìc iterum dictum Gregorii M. repetitur : *Verbum jussionis a meo auditu removete etc.* In omnibus rebuspublicis formula publicationis legum accommodata est reipublicæ systemati : in imperio monarchico leges solum principis nomine promulgantur : in Ecclesia veræ leges nomine conciliorum concipiuntur et promulgantur, uti concilio apostolorum, et aliis tum orientis, tum occidentis conciliis.

2. Ad probandum jus puniendi in Pontifice nihil valent exempla Marciani Arelatensis et Hilarii. De exauctoratione Marciani ab episcopis Galliæ facta hortatu Stephani P. actum est c. 2, § 9. De Hilario observandum est, eum non fuisse a Leone P. depositum, sed jure tantum metropolitico privatum, Leonem sub- et obreptionibus inductum fuisse, Hilarium etiam illegitime et a judice non competente damnatum, Leonem suæ sedis amplitudinis plus æquo studiosum, antiquam disciplinam supergressum, et a Sardicensium canonum sanctione recessisse; denique, quia videbat, suam sententiam novam esse, et in Gallia nullam vim habituram, pro ejus executione ab

imperatore Valentiniano III rescriptum impetravit. Fleurius discurs. 4 in hist. eccles. ait, omnino ignorari debere historiam Ecclesiæ, ut quis existimet, nullo unquam tempore aut loco episcopum judicari potuisse, absque quod Romam mittatur, aut commissio a Papa petita fuerit.

3. Jus appellationis seu supremæ instantiæ Rom. Pontifici a divina institutione non adhærere, serius ab Ecclesia ei attributum esse, et *limitate*, atque hinc potius pro negativa et exclusiva concludi debere, evidenter demonstrabitur c. 5, § 6, adde c. 1, § 7.

4. Cardinal. de Luca ait, sub nomine officialium et ministrorum Papæ *largius* etiam venire patriarchas, archiepiscopos, episcopos. Qui alterius officialis est, ex ejus delegatione aut concessione tacita vel expressa jurisdictionem exercet, et ab eodem suum officium obtinet. Neutrum verum est : quia talis concessio non apparet ex scriptura et traditione, sed potius contrarium eruitur, uti probabitur c. 7, dein hoc capite ad oculum demonstratum est, de jure nullas Rom. Pontificis in constituendis et confirmandis episcopis partes esse.

5. Jus convocandi concilia nulla lege divina vel humana Rom. Pontifici reservatur, uti dicetur c. 6, quamvis tacito principum et ecclesiarum consensu ei serius advenerit, non tamen pro omni casu. Supposito etiam, hoc jus primatui universali annexum esse, inde tamen æque parum ad

jura monarchica concluditur, quam ex jure cujusque præsidis congregandi senatores.

6. Papam generalium conciliorum juri, directioni et potestati etiam *coactivæ* non subesse, pernegatur, et contrarium demonstratur c. 1, 5, 6 et 9. Ipsi Rom. Pontifices se agnovêre, ad conciliorum et Patrum decreta districte obligari. Julius I, epist. ad oriental. Leo I, epist. 78 ad Marcian. Imp. Gelasius I, epist. 13 ad episcopos Dardaniæ. Si episcopi non servando statuta Patrum peccant, tunc maxime etiam Romanus episcopus, aut si hic non peccat, multo minus peccabunt alii.

7. Quando dist. 40, can. 6 dicitur, Papam non habere superiorem in terris, qui eum judicet, intelligendum est juxta Gersonem tract. de reform. eccles. in concil. univers. c. 18, nempe si Papa bene vivat, bene doceat; quando autem malitia Papæ vel Papatus redundat in damnum totius Ecclesiæ, vel est notoria, subjicitur præcepto correctionis fraternæ. Confer. c. 1, § 5, et Andreæ Magorens. gubernaculum conciliorum tom. VI, pag. 155.

8. Accidit cardinali Orsi et aliis juris monarchici defensoribus, ut dum *generalia* proferunt, verbis magnificis incedunt, dum vero ad demonstrandos *speciales* effectus hujus juris urgentur, modestiores et aridi apparent, et nolentes fateri coguntur, observantiam et traditionem ipsis repugnare. Confer. c. 7, § 3.

9. Notanda est gravis observatio Bossueti lib. 14, c. 15, quando Gelasius P. epist. 13 ad episcop. Dardaniæ, et Zosimus P. *pari magniloquentia* dicunt, sedem apostolicam multa solum non consentiendo prohibere vel solvere, *vera quidem sunt, sed aliunde supplenda, quæ cum ad rem non facerent, beatus Gelasius prætermisit.* Hæc a Febronio supplebuntur c. 5, § 9.

10. Si contra genuinum Ecclesiæ systema obscurioribus seculis tot reservata, aliaque innumera ad curiam Romanam tracta sunt, restat, ut expendatur, jurene, an injuria in concilio generali Vienn. postulaverit Durandus Mimatensis, ut Ecclesia Romana *non omnia ad se traheret, ne omnia perderet.* Vid. c. 8, § 3.

NOTA.

Jam præsenti paragrapho Febronius nil nisi evidentes demonstrationes jactat. Verum hæc magniloquentia et arrogantia hodiernorum maleferiatorum scriptorum est, ut dum turbida quævis in medium proferunt, textus truncant, torquent, detorquent, interpretationem arbitrariam frivole iis affingunt, addunt, demunt, excipiunt, exsibilant, æquivocationibus incedunt, demum cæcos, ignaros, stupidos, et præjudiciis immersos pronuntiant, qui suas demonstrationes non vident, hacque arte, aut fraude potius lectorem vel timidum vel incautum, qui talibus notis inuri

erubescit, in sua sensa cogunt : cordatiores hisce non moventur, et adversariis qui gloriantur in malitia, præter malevolentiam et fraudes, eadem reponunt.

Si dicta Febronii in hoc capite demonstrationes sunt, idem nobis æquo jure deposcimus. Meridies nobis in iis necdum patuit, quin pluries in multas tenebras offenderimus. Saltem, quoad *caussas majores*, hactenus nullibi probari potuit, quomodo et quando illæ ad metropolitanos et concilia provincialia devenerint? statim initio Ecclesiæ penes ista non fuêre, quia tum metropolitani et concilia provincialia nondum erant. Dein, neque ab episcopis particularibus, neque a tota Ecclesia ad ista concilia devenire poterant, quippe illi in confirmationibus, depositionibus etc. etc., tale jus non habebant, cum par in parem non habeat potestatem; de tota autem Ecclesia dici non potest, cum ante Nicænum, nullum concilium generale ostendi potest : consensum tacitum episcoporum vel Ecclesiæ si adstruas, is probari debet; quippe præsumi non potest, in rebus tanti momenti maxima jura et auctoritatem ad unum vel paucos in particulari synodo solum tacito consensu pervenisse, et episcopos unaniniter ac ultronec tantam potestatem supra se induxisse. Saltem hæc jura ob bonum ordinis et unitatis in Ecclesia semper existebant, at ubi, et in quo, initio Ecclesiæ post apostolos et ante omnes metropolitas ac concilia provincialia, jura illa residebant? ad hoc nondum respondit adversarius.

Porro æquivocatione et suppositio laborat totus hic paragraphus. Monarchiam ecclesiasticam ex scripturis et traditione demonstrare vult Bossuetus: si despoticam et arbitrariam intelligat, nobis res non est, atque in vanum laborat; si temperatam et talem, qualem nos hactenus descripsimus, impugnet, utique ex scriptura et traditione c. 1, etc. jam probavimus, nequidquam obsistente Febronio. Cardinalis Orsi eam probat ab *effectibus*: neque hoc adversario placet; at in argumentorum genere illud firmissimum est, caussam ex effectibus demonstrare. Ipse Febronius toto suo opere quid agit? effectus jurisdictionis Papalis relevat, impugnat, pernegat, ut et caussam, scilicet ipsam jurisdictionem destruere ac negare possit.

Post enumerationem effectuum *alia*, ait, *jura majestatica, quæ Pontifici largiretur, Orsi non habuit.* Verum hæc ad demonstrandam monarchiam Papalem in nostro sensu abunde sufficiunt, quibus admissis, illa negari amplius non potest. Videbimus nunc demonstrationes Febronii, ad quos lectorem provocat, *ut vel umbram status monarchici dissipet.*

Ad 1. En primam demonstrationem! jus ferendarum legum Pontifici non competere dicet c. 5, at eum leges proponere posse dixit c. 2, § 6, nos in notis ad c. 5, contrarium evincemus, et c. 2, § 6 et 8, abunde responsum fuit, ubi etiam, sicut et alibi de verbis Gregorii M. diximus. In imperio absolute et perfecte monarchico leges

concipiuntur, et promulgantur nomine solius monarchæ, in temperato et mixto, quale in Ecclesia est, leges in comitiis conceptæ nomine totius reipublicæ promulgantur, et si extra comitia a principe ferantur, etiam hujus nomine emanant. Sic in Ecclesia leges conciliares nomine concilii, et Pontificiæ nomine et auctoritate vicarii Christi et sedis apostolicæ promulgantur, tales autem in Ecclesia plurimas esse constat.

Ad 2. Duo exempla Orsi nonnihil, sed totum, quod volebat cardinalis, nempe vim punitivam et coactivam Pontificis probant. Marcianum non hortatu, sed jussu et auctoritate S. Stephani P. depositum fuisse, demonstravimus tum cit. c. 2, § 9 et c. 4, § 8. Ad alterum respondeo: admittit auctor Hilarium jure tantum metropolitico privatum; hoc jus S. Leo P. transtulit in Ecclesiam et episcopum Viennensem, igitur Papa habet jus transferendi jura metropolitica, et novas metropoles erigendi, quod præcedenti paragrapho negaveras. Dein quis dicet, metropolitanum præcipuo jure suo privare, et in ordinem communium episcoporum redigere, nullam pœnam esse? igitur et vis punitiva inde probatur. Sit interim, S. Leonem sub- et obreptionibus inductum fuisse, tamen jus Papæ inde elucet, etsi in errore facti versetur.

Addit, Hilarium illegitime a Judice non competente damnatum fuisse, item ejus sententiam novam, et in Gallia alias sine imperiali decreto

nullam vim habituram fuisse — primum probat Febronio Dupinius, quare non Quesnellum idem docentem citat? nempe erubescebat, tales tantum esse causas testes suspectos atque notatos in medium proferre, contra quos justa valet exceptio. Ego illi opponam testes, omni exceptione majores, coævos, summa auctoritate fulgentes, duos Augustos imperatores Theodosium et Valentinianum III, qui S. Leonem in hac causa legitimum judicem fuisse, simulque de sensu Ecclesiæ circa potestatem Papalem illius ævi publico decreto testantur inter Novell. Theodos. tit. 25 de ordin. episcop. *erat ipsa quidem sententia* (S. Leonis) *per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in ecclesias non liceret? sed nostram quoque præceptionem hæc ratio provocavit, ne alterius vel Hilarii, quem adhuc episcopum nuncupari sola mansuetudo præsulis* (S. Leonis) *permittit humanitas, nec cuiquam alteri ecclesiasticis rebus arma misceo, aut præceptis Romani Pontificis liceat obviare. Lusibus enim talibus fides et reverentia nostri violatur imperii. — Hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Galliarum, quam aliarum provinciarum contra veterem consuetudinem liceat sine viri venerabilis Papæ urbis æternæ auctoritate tentare; sed illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas.*

Hoc testimonium et edictum ducum imperi-

torum an non prævalet Dupinio et Quesnello, notorus sectis Romanæ hostibus? dein in causa Hilarii Romanus Pontifex an non judex competens fuit? adverte etiam, nullam hic fieri mentionem libertatum ecclesiæ Gallicanæ, atque Pontificem leges sancire posse, quibus obviare non liceat episcopis, et hoc quidem, juxta *veterem consuetudinem*, adeoque *hoc inceptum* Leonis, uti vocat Febronius, non novum erat, ac pariter falsum est, sententiam Pontificis sine decreto imperiali nullam in Gallia vim habituram fuisse, quando imperatores clare dicunt, *erat ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura.* Denique, dum Febronius ait, Leonem disciplinam supergressum in hac causa etiam ab ipsa Sardicensium canonum sanctione recessisse, si hoc verum est, et nihilominus ea ætate ejus judicium legitimum ac competens visum est, sequeretur, potestatem et præeminentiam Pontificis etiam supra canones conciliorum generalium tunc agnitam fuisse. Hæc sufficiunt ad diluendas cavillationes Febronii contra Leonem Magnum, atque ad probandum contra ipsum et Fleurium, quod episcopi primis novem seculis et ante falsas decretales, non debuerint semper judicari in concilio provinciali, sed judicati etiam fuerint a solo Papa.

Ad 3. Hic se refert ad suum c. 5, § 6, cui addit c. 1, § 7, n. 7, in hoc nihil demonstravit, et in illo nihil demonstraturum esse, ibi videbimus.

Ad 4. Quoad primum igitur demonstrationem exspectare debemus in cap. 7, secundum nec certum est, nec demonstratum hoc capite, quid quid jactet Febronius.

Ad 5. Nos iterum remittit ad suum caput 6. Cæterum, Febronius cap. 2, § 1, n. 4, inter alia ex eo, quod Petrus in actis apostolorum primum Ecclesiæ concilium coegerit pro electione Matthiæ, item quod in caussa legalium Hierosolymis iterum synodum congregarit, eademque præsederit, ita concludit: *unde magis magisque declaratur, Ecclesiæ cœtibus præsidendi jus ita fuisse huic apostolo concessum, ut illud nemo in controversiam vocarit, nemo non libentissime tulerit.* Verum ex his pro jure convocandi concilia an non æquo jure concluditur, quando convocationem æque ac præsidium ibi reperimus? at cit. cap. 6 ad demonstrationes Febronii adhuc exspectabimus.

Interim, quare hic profert imaginem præsidis in senatu, et non potius pastoris in grege? observet et ipse quoque monitum Bossueti nuper a se allegatum: *non ex proprio cerebro, sed ex scripturis et traditione christianæ reipublicæ formam effingendam esse.* Ubi autem in scriptura imago præsidis Senatorii proponatur? imago pastoris in scripturis pro explicando officio Petri affertur: pastoris autem est, congregare oves, abigere lupos, invigilare gregi, et inferioribus pastoribus sibi subordinatis, mercenarios, fu-

res, latrones, qui non intrant per ostium in ovile, depellere.

Ad 6. Quoad hoc cap. 1, quid demonstratum fuisse pernegamus, nos ibidem contrarium omnino evicisse confidimus. Sed et cap. 5, 6 et 9, Febronio adhuc plura respondebimus. De Rom. Pontificibus, quos citat Febronius, et qui fatentur, se legibus synodalibus adstrictos, quæro 1° quænam sint illæ leges synodales, de quibus loquuntur illi Pontifices? nonne sunt concilia œcumenica, præcipue Nicænum, in quibus decreta ipsa auctoritate et præsidio Rom. Pontificis sancita atque confirmata fuerunt? quæro 2° qualiter Pontifices hisce legibus se adstrictos esse fatentur? nempe eo modo, quo supremus princeps suis legibus adstringitur, ad eas tuendas, observantiam urgendam, et ne leviter, atque ad cujuslibet voluntatem eas relaxet. Sic Julius I ait, *ad synodi — — contumeliam vergeret, — — si a nobis ut vana, futiliaque abrogarentur.* Sic Leo I ait, *ad meum tendit reatum, si sanctiones* synodi Nicænæ, *me, quod absit, connivente, violentur, et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas.* Sic Gelasius I, *universalis synodi* statutum *non aliquam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam.* Hæc si rite perpendantur, omnino contra Febronium pugnant, et tamen ipsi textus, quos citat, demonstrationes sunt. Febronius demonstrare de-

buisset, Romanos Pontifices teneri ad observantiam et adimpletionem legum conciliarium, iisque subjectos esse : e contra, textus loquuntur de abrogatione, de dispensatione, de executione legis seu statuti synodalis in aliis, non in se ipsis. Dum Julius ait, ad contumeliam synodi vergere, si synodi statuta tam leviter *tanquam vana et futilia abrogaret*, sequitur, cum justa caussa, quando ad synodi contumeliam non vergeret, ab eo abrogari posse. Dum S. Leo ait, se absque reatu in sanctionibus synodalibus *ad unius voluntatem* dispensare aut abrogare non posse, vel etiam solum connivere, si violentur, ex his non sequitur, eum nunquam connivere aut dispensare posse, quando nempe major et legitima caussa subsistat, quam *unius solummodo voluntas*, quin potius contrarium eruitur. Nam si Pontifices canonibus et conciliis universalibus ita subjacerent, ut nullo modo in iis dispensare, abrogare valerent, utique non solam exceptionem caussæ sufficientis adducere potuissent. Gelasius I vero non loquitur de executione canonum synodalium in se ipso, sed in aliis, sicut princeps executionem suarum legum mandat, urgetque in subditis : et quare Febronius omisit nullo intervallo immediate subsequentia Gelasii verba? *quæ* (sedes romana) *et unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat, et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum,*

Ecclesia nihilominus subsequente, et tenuit semper, et retinet. Et idem Gelasius inferius loc. citat. *nec tamen taceamus, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum sedes beati Petri apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, nec cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones voluerunt appellari, at illa autem nemo sit appellare permissus.* Hæc, quæ Febronius omisit, necessario ex Gelasio supplenda esse duxi : at simul peto, utrum ista Rom. Pontificem potestati conciliorum tam *directivæ* quam *coactivæ* subjiciant? item quantum valeat demonstratio Febroniana in hoc puncto? ex his sequitur, episcopos non servando statuta synodorum generalium semper peccare, quia iisdem subjiciuntur, non tamen peccare Romanum Pontificem, nisi quando sine justa caussa ea abrogat, mutat aut dispensat. Loquimur autem de Romano episcopo qua primate universali; nam callide Febronius paritatem inter episcopos et *Rom. episcopum* qua talem instituit.

Ad 7. Auctoritas Gersonis novellæ suæ opinioni nimium adhærentis nobis ad demonstrationem nequaquam sufficiens est, huic, omissis aliis, oppono, magnum Pontificem Gelasium I, ex seculo quinto, et ejus verba mox supra relata, qui aperte negat, sedem Romanam cujusquam judicio subesse, ac desuper ad consensum totius

etiam Ecclesiæ provocavit : *quod cuncta per mundum novit Ecclesia.* Papa utique homo christianus atque catholicus est, et ut talis, legibus ecclesiasticis subjicitur : at loquimur de Papa, quatenus vicarius Christi et caput Ecclesiæ est, talem in terris cujusquam judicio subesse, cum S. Gelasio aliisque pernegamus.

Equidem si male vivat, concedo, ipsum subjacere correctioni fraternæ, sed non judiciali in synodo extra caussam hæresis vel schismatis : confer. c. 1, § 5 in not.; nullibi enim ad hoc promissionem a Christo accepit, ut necessario sanctus esse debeat. Alteram tamen hypothesin, *si bene doceat*, dico, nunquam defuturam esse, sic ut perversa ejus doctrina redundet in detrimentum totius universalis Ecclesiæ, ut ait Gerson; obstat enim assistentia et promissio Christi : *assistentia*, quia, labente in errorem et docente capite, facile totum corpus succumberet; atque in errorem induceretur : *promissio*, quia Petrus post Christum constitutus est fundamentum præcipuum et immobile Ecclesiæ, cui non prævalituræ sint portæ inferorum, ipse jubetur pascere gregem verbo doctrinæ, atque confirmare fratres, pro ipso oravit Christus, ne deficiat fides ejus; hæc autem omnia ad Petri successores quoque pertinere, alibi jam ostendimus. Num prudentem existimas, fore eam œconomiam Ecclesiæ, quando Christus singula membra, utpote fallibilia et erroribus obnoxia in uno tanquam in capite et centro

colligavit ad conservandam unitatem fidei et doctrinæ, si tamen illud ipsum caput et centrum æque fallibile ac cætera membra reliquit? num sic singulis membris et toti corpori magis provisum esset, quam si ista colligatio facta non fuisset, et cum centro ac capite conspirare non deberent? ad quid omnes ad unum referre, si ille unus æque ac illi omnes, errare potest? sic utique majus peccandi periculum in toto suberit, si nempe ille unus, utpote caput et centrum labatur, propter colligationem et consensum ad illum unum, quam si hæc colligatio et conspiratio non subsisteret, quippe sic facilius totum simul corpus deficere, secus autem tantum singuli dispersim errare possent. Neque ad antiquam crambem, Ecclesiam scilicet in concilio congregatam, aut ad Ecclesiæ dispersæ consensum refugias; nam ubique Pontificem tanquam præcipuum suspicio, nempe tam in concilio, quam in Ecclesia dispersa, tamquam præsidem, caput, atque primum Judicem. Dein indeficientia in fide juxta promissionem Christi, et infallibilitatis dos Ecclesiæ semper præsto est, eique adhæret per continuam assistentiam Salvatoris, quod si modico etiam tempore tota a fide deficere posset, tunc promissio Christi frustraretur, et portæ inferi adversus eam prævalerent. At Ecclesia in concilio, in quo infallibilitatem reponit Febronius, non semper, imo rarissime est congregata, et consensus Ecclesiæ dispersæ subsequens, est medium non semper promp-

tum, incertum, de quo etiam non nisi difficulter constare potest; igitur si adversarios audiamus, neque infallibilitas a concilio generali semper habetur, quia illud non existit, neque per consensum Ecclesiæ dispersæ, quia de hoc non constat, unde facile saltem ad tempus tota Ecclesia deficere posset. Tantis periculis expositam, et non nisi mediis extraordinariis vel incertis suffultam Christus noluit esse suam Ecclesiam. Merito igitur a Gersone recedimus. At minor adhuc est auctoritas Andreæ, Magorensis episcopi, qui tempore schismatis scripsit, ad Edmundi Richerii damnata principia deflexit, et aperte hallucinatus est. Tales auctores nullam nobis demonstrationem conficiunt.

Ad 8. Monarchiæ ecclesiasticæ defensores adeo aridi non sunt, quin ad singula adversariorum magnifica (si Superis placet) argumenta apte et nervose respondere possint, sua vero inconcusse defendant.

Ad 9. Quid est illud, quod Pontifex prohibere potest solum *non consentiendo?* ubi in scripturis legitur, Petrum plus posse negatione sui assensus, quam consentiendo? profecto si multum potest solum non assentiendo, plus adhuc valebit jubendo et volendo : ridicula hæc sunt et rectæ rationi haud consentanea. Contrariorum eadem est ratio; si dissensus Pontificis impedit robur et validitatem actus aut sententiæ, igitur ejus consensus et auctoritas ad validitatem et

robur erit necessaria. S. Gelasium I suggillat cum Bossueto, quasi quædam, *cum ad rem non faceret, prætermisisset*, quando sanctus hic Pontifex independentem et maximam etiam extra synodum sedis apostolicæ auctoritatem ex scriptura, traditione seu exemplis et consensu Ecclesiæ commonstrat. Hæc aliunde supplenda esse, ait Bossuetus, et Febronius supplere spondet c. 5, § 9. Hæc profecto non absque injuria magni Gelasii ad declinandam vim auctoritatis conficta sunt. Interim supplementa Febronii exspectabimus, sed et suo loco ad ea respondebimus. Pariter modestiam Bossueti parum commendat, quod S. Zosimum P. magniloquentiæ arguat.

Ad 10. En! hactenus demonstrationes Febronii, quæ, ut plurimum, non nisi citationes sunt, nempe lectorem huc illucque divertendo. Quæ autem dixit, nullo robore constant, et satis convelluntur. Nil igitur contra *reservata* rom. sedis evincere potuit. Durandus cum suo effato tuus sit, non enim omnes nostros esse volumus, quamvis non tam de potestate, quam ejus abusu ipsi sermo sit. Scio interim, eum obtinuisse titulum *doctoris resolutissimi*, at præterea, propter dura et acerbiora sua scripta, etiam hoc epitaphium a suis sodalibus inscriptum promeruit:

Durus Durandus jacet hoc sub marmore duro,
An sit salvandus, ego nescio, nec quoque curo.

CAPUT V.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS, EARUM PRO UNIVERSALI ECCLESIA FERENDI JURE, ET DE APPELLATIONIBUS AD ROM. PONTIFICEM

§ I.

Romanus Pontifex an et quatenus habeat jus condendi leges in caussis fidei, universam Ecclesiam obligantes?

Exponitur genuinus sensus verborum Lucæ 22. *v.* 32.

Quæ in Ecclesia *universaliter* statuuntur, vel ad *doctrinam* pertinent, vel ad *disciplinam*. Circa materiam *doctrinæ* non solum Papam, sed concilia et episcopos genuinos judices esse, liquet ex c. 4, § 2 hanc potestatem a Papa non aliquo privilegio infallibilitatis prætendi posse, constat ex c. 1, § 10 in *novis fidei decretis* pro universali Ecclesia condendis episcopi dispersi eandem partem obtinent ac in concilio congregati, licet diverso effectu. Invidiosa res est, summam Ecclesiæ ac fidei uni homini, summo quamvis, et summa dignitate prædito, sed mortali tamen, ne quid amplius dicatur, permittendam? convocari episcopos ad synodos, viduari ecclesias, ut unum legislatorem audiant? rem

tantam, tam incredibilem, et hactenus pro dubia saltem habitam pro certo Ecclesiæ fundamento collocari? sic evertitur formula apostolica, *visum est Spiritui S. et nobis*, non Petro. Quanta audent, qui Petro negata Petri successoribus tribuunt. Quod in hac re Rom. Præsuli præcipuum est, fere redigitur ad dicta c. 2, § 8, c. 4, § 11.

1. Nova, antiquitati, conciliis et universalis Ecclesiæ usui contraria prætensio est, *solum* Rom. Pontificem posse circa regulas fidei decernere, episcopos teneri se in hac parte ejus decreto submittere sine examine, sine cognitione et libertate deserendi Pontificis sententiam, ubi eam invenerint non conformem S. scripturæ, traditioni aut bono religionis minus aptam.

2. Prætensam hanc Pontificis auctoritatem fundant in ejus infallibilitate : hanc quærunt in verbis Christi, Lucæ 22. *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* His Christus Petro promittit, quod sit in fide futurus stabilis, atque ejus *particularis* et *personalis* fides non sit defectura. Hanc promissionis efficaciam ad Petri successores transituram, nemo sustinebit. Prædictio et promissio Christi in persona Petri impleta est, qui post casum resurrexit, fidem prædicavit, et constanter usque ad mortem defendit. Hæc nihil ad successores, qui cum Petro nec ceciderunt, nec resurrexerunt. In hoc

sensu genuino textum communiter interpretantur Patres et doctores Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexand., Prosper, Beda, S. Leo, et alii quamplures, nec non Bossuet.

3. Gerson ait, quod in caussis fidei nullus *particularis* homo possit de propositione non hæretica facere hæreticam, aut de catholica non catholicam. Possunt tamen Papa et episcopi propositionem aliquam, quæ aliquibus videtur non hæretica, *declarare, quod sit hæretica, et hoc judicialiter*, diversimode tamen, quia Papæ *determinatio pœnalis* se extendit ad omnes fideles, sed episcopalis tantummodo ad subditos suos. Recte ita, ait Febronius, sed talis *declaratio Papalis* non potest dici universalis Ecclesiæ lex : est *judicium* Papæ in Ecclesia primarium, licet definiens *per se* non sit. Quod de *determinatione pœnali* addit Gerson, restrictionem accipit ex dictis cap. 2, § 9; cap. 3, § 4; cap. 5, § 4, etc.

4. Dicunt aliqui, Papæ etsi non infallibilis decretis *provisorie* tamen obsequendum esse, saltem ad non dogmatizandum contrarium, quandiu Ecclesia non reclamat : hæc ultima verba parum accurate dicuntur, quasi sufficiat negatio consensus universalis Ecclesiæ, quam sufficienter manifestat reclamatio plurium et gravium particularium ecclesiarum. Huc pertinent item binæ propositiones Gersonii : in caussis fidei non

habetur in terra judex infallibilis, præter ipsam Ecclesiam universalem, vel concilium generale eam sufficienter repræsentans. Item in causis fidei nulla determinatio judicialis episcopi, imo nec solius Papæ ligat fideles ad credendum — — quoniam tam Papa, quam episcopus sunt deviabiles a fide, obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent contrarium, nisi appareat manifesta ratio repugnandi. Huc ex Gersone itidem addenda ex cap. 1, § 5. Ecclesia potest condere leges obligantes et regulantes ipsum Papam tam quoad personam, quam respectu usus potestatis, non e contra. Confer. cap. 4, § 3.

5. Quod de *judiciali* declaratione tradit Gerson, observandum est, hic ut plurimum non agi de judicio proprie et juridice dicto; dein aliud esse judicium episcopi, utpote jurisdictionem vere talem in ferendis legibus, decidendis litibus, punendis reis etc. in causis fidei et aliis quibuscunque ecclesiasticis exercentis, aliud Papæ, qui judicium suum formal tanquam normam futuram toti reipublicæ christianæ, sed quia hæc norma talis esse non potest, nisi auctoritate et sigillo universalis Ecclesiæ munita, ideo ex natura rei lex esse non valet universalis Ecclesiæ, nisi hujus consensu, qualis consensus dioecesanorum in legem particularem episcopi non requiritur. Pro exemplo datur bulla Leonis X contra Lutherum. Si quis dixerit, judicium Pa-

pale per se in universo orbe in caussis fidei eandem vim et auctoritatem habere ac judicium episcopale in sua particulari diœcesi, ei non poterimus, salva veritate, assentiri. Item qui dixerit, *Papa omnia potest in toto mundo, quæ episcopus in sua diœcesi*, is paucos prudentes sibi inveniet assentientes, certe non Gersonem.

NOTA.

Contradictiones certissimum signum sunt falsitatis doctrinæ : multas in Febronio jam retulimus, multas prætervimus, sed et hic paragraphus non paucis scatet. Docet hìc auctor, ex cap. 4 constare, episcopos et concilia etiam particularia genuinos, natosque arbitros ac judices fidei esse. Cap. 1, § 6. asserit, potestatem clavium neque soli Petro, neque apostolis tanquam determinatis personis, sed universitati Ecclesiæ datam esse, ab hac illis communicari, et per eos tanquam ministros Ecclesiæ exerceri. At potestas judicandi et determinandi legem in materia fidei seu doctrinæ ad potestatem clavium pertinet : quomodo ergo episcopi sunt nati arbitri et judices fidei ?

Item hic num. 5 dicit, episcopos jurisdictionem vere talem in condendis legibus a Christo accepisse, ibi ab Ecclesia.

Dicit Febronius, in novis fidei decretis condendis episcopos dispersos eandem partem obti-

nere ac in conciliis congregatos, licet diverso effectu, nempe dispersorum judicium ultimatum et infallibile non esse. Verum cap. 1, § 9 et alibi ait, infallibilitatis privilegium a Christo universitati Ecclesiæ datum esse. Universitas Ecclesiæ autem episcopos non modo congregatos, sed et dispersos, quin et omnes fideles significat. Idem tradit hic ex Gersone num. 4.

Nos igitur asserrimus, in materia doctrinæ et fidei episcopos et concilia particularia esse quidem veros judices, horum tamen judicium per se non esse ultimatum. Ratio est, quia concilia particularia et episcopi particulares non sunt infallibiles. In dubio igitur aut difficili quæstione judices sunt Pontifex Rom. et concilia generalia : hæc tamen non sine Papa, quia totum corpus non intelligitur sine capite ; sic etiam vere integrum et œcumenicum concilium non est sine Papa tanquam capite.

Est autem Rom. Pontifex etiam sine concilio generali judex ultimatus et infallibilis in materia doctrinæ. Ratio est, quia Ecclesia *semper* est infallibilis non solum in credendo, sed et maxime in docendo : nam Christus Matth. 28 discipulis promittit : *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem mundi.* Ista verba locutus est ad apostolos, quando ad prædicandum evangelium in universum mundum abire jamjam parati erant : hæc igitur promissio Ecclesiæ non tantum in concilio congregatæ, sed etiam

dispersæ data fuit, quod verba *omnibus diebus* clare indicant; nam Ecclesia non omnibus diebus in concilio est congregata, imo nec congregari potest, nisi rarissime propter difficultates moraliter vix superabiles. Siquidem per tale medium extraordinarium vix possibile, et tot modis impedibile suæ Ecclesiæ et securitati fidei non satis providisset Salvator; hinc sequitur, ad damnandam ultimato judicio hæresin, vel dogma definiendum, concilium generale necessarium non esse, sed sufficere Ecclesiam dispersam æque infallibilem.

Jam Ecclesia dispersa per se non loquitur, et controversia in uno orbis angulo agitata ne quidem omnibus in mundo episcopis innotescit, et si innotesceret, nullus episcopus particularis scire potest, quinam sit aliorum in orbe episcoporum circa quæstionem propositam sensus atque sententia? quid igitur faciendum, ut audiatur Ecclesia dispersa? an fors Rom. Pontifex omnium et singulorum in toto orbe episcoporum suffragia, facta prius necessaria informatione, exquirat? at præter longissimum tempus taliter fere eædem offenderentur difficultates ac in concilio generali congregando, sicque iterum non satis prospectum foret Ecclesiæ, præsertim urgente necessitate, ubi malum latius serperet. Et quorum dein sententiam propalaret? utique non pauciorum? ergo plurium? at etiam sententiam plurimorum tum extra, tum etiam conciliis ge-

neralibus sine Pontifice errasse constat tempore hæresis Arianorum et Semiarianorum, item in concilio Ariminensi etc. etc. Dein hic modus definiendi in Ecclesia dispersa veteri Ecclesiæ praxi repugnat. Quippe Rom. Pontifices in materia fidei damnando hæresin, vel dogma statuendo, nunquam suffragia Episcoporum in tota Ecclesia dispersorum exquisierunt, sed ipsi loquebantur, damnabant, definiebant, quibus accedebant reliquæ omnes ecclesiæ.

Quid igitur? a posteriori et post judicium Papæ consensus totius Ecclesiæ dispersæ vel expressus vel tacitus exspectandus erit? sed quandiu exspectandum erit? unde, quomodo et quando hic consensus innotesceat? neque sic satis provisum erit Ecclesiæ. Quare vox et consensus Ecclesiæ dispersæ tam antecedenter, quam consequenter ad decretum Pontificis difficilis semper, et fere impossibilis est, adeoque audiri vix poterit.

Dicimus ergo, Ecclesiam dispersam esse infallibilem; ut autem hæc audiatur, debet in ea esse, qui nomine omnium, totius Ecclesiæ dispersæ, et ad omnes loquatur: hic ab ipso Christo Domino, nempe ne talis judex unquam deficiat, aut schismata oriantur, constitutus est Petrus, primas et pastor universalis Ecclesiæ, item caput et centrum unionis totius Ecclesiæ. Dum ergo Petrus vel ejus successor vocem suam depromit, atque ad universam loquitur Ecclesiam, hoc ipso jam consensus totius Ecclesiæ adesse censetur,

nempe episcoporum dispersorum, qui in fide et doctrina cum capite cohærent, et cum centro unitatis conspirant. Ratio est ipsa natura capitis, centri ac unitatis, quam Christus in solo Petro, ejusque successoribus constituit, unde nec exquirendus consensus anterior, nec exspectandus posterior, sed tota Ecclesia dispersa cum suo capite cohærens loquitur per suum caput, seu Rom. Pontificem; hinc est, quod veteres Pontifices non exquisito prius reliquarum ecclesiarum consensu, nec exspectato futuro, ad delationem unius vel alterius episcopi aut Ecclesiæ particularis, damnaverint hæreses, vel dogma statuerint, ex quo omnes ecclesiæ statim errorem tanquam damnatum rejiciebant, aut dogma ut definitum amplectebantur. Hinc est etiam, ut aliquis ab una particulari damnatus ecclesia ad sedem rom. confugeret, illius communionem vel flagitans, vel etiam judicium experturus : siquidem propter nexum communionis a tota Ecclesia neque damnatus, nec a communione exclusus habebatur, quandiu ab illa sede non abjiceretur. Haud recte igitur loquuntur, qui quidem dicunt, Ecclesiam dispersam infallibilem esse, attamen eam non nisi ad judicium Rom. Pontificis prævium per consensum subsequentem sive expressum, sive tacitum, loqui volunt. Quippe rem difficultatibus implicant, ita ut hic consensus vix aut omnino non sufficienter et certo innotescere, adeoque Ecclesia dispersa audiri possit. Neque satis accu-

rate loquuntur, qui dicunt, Pontificem Rom. *se solo* esse infallibilem. Nam infallibilitas non afficit personam, sed officium Pontificis, quatenus est centrum, caput et pastor universitatis, quod ex natura sua importat aliquid relativum, aut aliquod totum, ita quidem, ut ideo Papa sit infallibilis, quia et quatenus cum ipso cohæret tota Ecclesia dispersa, atque in ejus judicio illius consensus tacitus jam adest.

Loquitur igitur Ecclesia dispersa per Pontificem, Pontifex se solo non loquitur, sed nomine Christi, cujus vicarius est, et nomine Ecclesiæ propter vinculum unitatis atque consensus. Hic quippe consensus semper censetur adesse propter bonum Ecclesiæ, imo semper adest. Christus Joan. c. 17, patrem rogavit pro discipulis, ut hi semper unum sint, hancque unitatem quasi characterem præcipuum suæ Ecclesiæ constituit, unum officium pastorale, unum episcopatum, unam cathedram doctrinæ in Petro tanquam in centro et capite collocavit, uti pulchre probant SS. Cyprianus, Optatus Milevit., aliique supra in c. 2 sæpius relati, utpote in quo capite et centro omnes per communionem et consensum semper cohærent. Dum loquitur ergo Petrus in Ecclesia dispersa, haud visum est soli Petro, sed huic et reliquis pastoribus per consensum coadunatis, et sic tacite loquentibus, sicut in concilio congregato de aperte loquentibus dicitur, *visum est nobis*.

Habes hinc, cur in casu schismatis, ubi dubius est Pontifex, ejus judicium non sit infallibile, atque penes Ecclesiam stet schisma tollere, et certum sibi caput eligere; quia nempe signum veri capitis et centri est adhærentia et consensus: hæc autem in schismate deficiunt. Habes, quare si Papa fiat hæreticus, mox cesset esse caput Ecclesiæ, quia per hæresin se ipsum separat a corpore Ecclesiæ, sicque cessat cohærentia et consensus in eundem. Quare rectius dicitur, Papam in definiendo esse infallibilem, non quidem proprie *se solo* in hoc sensu, quod ipse solus loquatur, cæteris pastoribus tantum audientibus et obsequentibus, sed quod ipse solus *expresse* loquatur, tacite loquentibus, seu consentientibus reliquis per consensum unionis et adhærentiæ.

Hæc si non admittat Febronius, det mihi caussam et rationem fundatam, quare Rom. Pontifices in definiendo in doctrina fidei et morum nunquam erraverint? a posteriori constat, eorum judicium semper fuisse certum et infallibile. Nam vel Papa per se et solus est infallibilis, quod negat? vel hæc infallibilitas habetur primum a consensu subsequente pastorum? et hoc iterum falsum est, quia consensus posterior non addit infallibilitatem sententiæ et doctrinæ definitæ, utpote quæ jam antea certa et infallibilis erat. Vel si velis, consensum hunc posteriorem signum esse infallibilitatis quoad nos, eamque nobis manifes-

tare et certam reddere; igitur hoc ipso infallibilitas judicii Papalis jam præsupponitur, et adest ante consensum, qui se ad illam habet, sicut acceptatio legis ad ipsam legem: attamen dogma fidei et morum infallibile statim obligat ad acceptationem, nec dissentiri licet. Dein dissensus etiam expressus plurium episcoporum, in conciliis quoque congregatorum in caussa rebaptizantium, Arianorum etc. etc. et præcipue in ingenti illo schismate, quod integrum orientem et omnes tres patriarchatus a solo Romano Pontifice dividebat, judicium et sententiam Rom. Pontificis non effecit fallibilem, neque eorum consensus ad invicem illos præstitit ab errore immunes: quid ergo illorum consensus vel dissensus ad infallibilitatem dogmatis, nisi hic cum sententia Pontificis concordet? et quare consensus episcoporum dispersorum tunc tantum est infallibilis, quando subsequitur judicium Pontificis? certe consensus vel dissensus multorum episcoporum, etiam in conciliis unitorum in aliquam doctrinam fidei et morum sæpe erravit; judicium autem Pontificis etiam sine concilio, et prævie ad consensum Ecclesiæ dispersæ nunquam erravit. Penes quem igitur potius stabit infallibilitas? episcopi dispersi, vel etiam definientes in conciliis quare judicium vel confirmationem Romani Pontificis toties expetierunt, vel cum reverentia susceperunt? an ad hoc solum cogebat communionis necessitas? verum ad hanc utique sufficere po-

terat illius consensus etiam tacitus, ad quid ergo expressum judicium et sententia Romani Præsulis?

Quidquid igitur dicas, nullibi difficultatem effugies: Ecclesia dispersa est infallibilis: hæc autem semper et per se audiri non potest: debet ergo in Ecclesia dispersa esse judex, qui nomine totius loquatur, et tunc ejus sententia erit infallibilis, utpote sententia totius Ecclesiæ dispersæ. Hic judex alius non est, nisi caput Ecclesiæ Rom. Pontifex, cui per communionem et consensum tota Ecclesia adhæret; quando igitur hunc solum et per se infallibilem non agnoscis, saltem tunc infallibilem admittere debes, dum loquitur nomine totius Ecclesiæ. Ex his facile explicantur, et combinantur ii textus et argumenta, quæ contra infallibilitatem Pontificis afferri solent, atque etiam inde patet, utrosque in modo explicando hallucinari, qui vel caput a corpore, vel corpus a capite præscindunt, seu infallibilitatem præcise in solo Pontifice sine respectu ad Ecclesiam, vel in sola Ecclesia sine Rom. Pontifice tanquam primate reponunt.

Porro haudquaquam taliter invidiosa res est, summam Ecclesiæ ac fidei uni homini, et mortali permittere, uti ad comparandam Rom. Pontifici invidiam subdole arguit Febronius. Papa ut vicarius Christi et caput Ecclesiæ rem agere debet, nullo titulo ei ex arbitrio agere licet: ut vicarius Christi, debet respicere, atque tenere depositum fidei et traditionis, ut caput vero, bonum

atque communem sensum Ecclesiæ. Ubinam hic caussa invidiæ? quod si tamen totius rei summa et infallibilitas soli Petro commissa foret, num id divinæ sapientiæ repugnaret? Mosi et prophetis, hominibus et quidem mortalibus, illi summa et regimen totius populi Israelitici, his infallibilitas concessa fuit absque invidia. Res igitur in nostro præcipue explicandi modo haudquaquam est incredibilis. Neque in conciliis convocantur episcopi, viduantur Ecclesiæ, ut unum legislatorem audiant; nullibi loquitur solus Pontifex: in conciliis suam sententiam et sensum episcopi loquuntur expresse, extra concilia tacite loquuntur in ipso Pontifice per consensum, membra per suum caput. Valet ergo illa formula apostolica in conciliis, *visum est Spiritui S. et nobis*. Valet et quodammodo extra concilia, quia Papa loquitur, non quod sibi soli, sed quod Spiritui S. et toti Ecclesiæ videtur.

Ad 1. In nostra sententia non est nova prætensio, sed sensus et praxis antiquissima totius Ecclesiæ, quod de auctoritate et judicio sum. Pontificis diximus. Hoc probant omnes S. scripturæ et SS. Patrum textus, summorum Pontificum praxis et testimonia, eaque omnia argumenta, quæ pro infallibilitate *solius* Pontificis ex una parte adducuntur. Huic non obstant, sed potius favent, et in eandem sententiam recidunt, quæ ex altera parte pro consensu Ecclesiæ et episcoporum ad infallibilitatem requiri, aut afferri

solent. Abstineamus a verbo *solius*, quod nimis *exclusivum* est, et vocemus *infallibilitatem capitis*, quod verbum magis relativum est, et multum litis decedet.

At dicis : episcopi tenebuntur, judicio ac decreto Papæ se submittere sine examine, sine cognitione, sine libertate deferendi ejus sententiam? Respondeo, nempe secundum ideam, quam sibi format Febronius, etiam judicat : invidiosam de Papa ideam tenet, igitur et omnia ad invidiam trahit. Quando in aliqua societate plures in unum pro bono communi gerendo conspirant, ubi omnes semper adesse non possunt : si ille unus pro rei exigentia ac necessitate, cæteris absentibus, ordinationes faciat, statuta decernat, horumque rationem illis significet, num his probrosum erit et servile, se illis sine examine, sine cognitione submittere? neutiquam. Ille unus agit nomine totius societatis, omnium absentium consensus pro tali casu jam censetur adesse, quippe in hunc finem omnes in eum conspirarunt; non igitur opus est novo consensu aut examine, quandiu res palam non vergit in detrimentum totius societatis. Ita fere a pari loquor de decretis Pontificiis : hoc tamen interest inter societatem, ejusque caput arbitrarie constitutum, et Ecclesiam atque Pontificem, quod illud ab ipsis membris societatis, iste a Christo Domino suam originem et auctoritatem habet; illud arbitrarium sit et mobile, caput Ecclesiæ vero altiore voluntate

constitutum et fixum; illud, præter consensum societatis, nullo alio fundamento aut prærogativa nititur, istud adhuc speciali assistentia Christi gaudet, quandocunque commune negotium nomine omnium tractat : vides hinc Ecclesiæ capiti majorem reverentiam atque obsequium deberi, quam cuivis alterius humanæ societatis capiti. Apage igitur cum tua libertate deferendi Pontificis sententiam. In societate humanitus constituta si unus vel alter refragetur, non attenditur : si plures, fit scissio atque dissensio; omnes nunquam resistent, nisi ubi caput in magnis suo officio deest, et societas grave detrimentum aut periculum subit, et tamen penes societatem est, et caput et leges societatis mutare. Quidni deterius sit caput Ecclesiæ, quando ex tacito consensu et nomine Ecclesiæ agit, speciali assistentia divina suffultum. Ne igitur sibi timeat de sententia Pontificis difformi S. scripturæ, traditioni aut bono religionis. Assistentia Christi amplius quid operatur; hoc ab initio Ecclesiæ hucusque, non obstantibus quantiscunque perturbationibus, fluctibus atque dissidiis, factum non est; hinc bene argumentum sumimus, id nunquam futurum esse. Et si fieri posset, hoc ipso mox schisma præsto foret, quippe qualecunque sit judicium Pontificis, hic sua auctoritate et prærogativa semper multos secum trahet. Num autem putat, Christum in necessariis, nempe in fide et doctrina, adeo deesse voluisse Ecclesiæ, quam acquisivit sanguine

suo? hypothesin ergo fingit, non veritatem docet. Verum est: Papa hæreticus fieri potest, at nomine Ecclesiæ hæresin docere et definire non potest. Si primum, mox cessabit esse caput Ecclesiæ. Ratio secundi est, quia obstat assistentia Christi, quam promisit Ecclesiæ; hæc enim assistentia nisi penes caput et centrum singularius esset, quis facilius mundum posset in errorem inducere, quam summus Pontifex? repeto: ne igitur timeat de judicio Pontificis sanæ doctrinæ fidei et morum contrario.

Ad 2. Iterum repeto (nam et Febronius continuo eadem argumenta repetit) quæ circa textum Lucæ 22, c. 1, post § 10 dixi. Dein ipse Febronius etiam nolens nostram sententiam hic affirmare cogitur, dum ait: *his verbis Christus Petro promittit, non solum, quod nullum errorem fidei definiturus et alios docturus sit, sed etiam quod particularis et personalis ejus fides non sit defectura.* Hoc ultimum admitto, fuisse privilegium personale Petri, ad successores non transiturum, de quo etiam Patres intelligi debent. Attamen de primo nobis est quæstio, nempe quod nullum errorem fidei sit definiturus et docturus. Quidquid ad primatum pertinet, ad successores transiit: at in fide et moribus doctrinam definire, alios docere, confirmare fratres, ad officium summi pastoris et primatus pertinet: igitur et hoc ad successores transiit. Etiam cæteri apostoli erant infallibiles in docendo, quod illis promissum fuit,

dum Christus dixit : quando Paraclitus venerit, docebit vos omnem veritatem : hæc autem solis apostolis dicta sunt ad successores non transitura; etiam cæteri apostoli omnes, sicut Petrus erant in fide et gratia confirmati atque stabiles. Quare ergo Christus adhuc pro solo Petro specialius rogavit, ne succumbat, non solum tentationi, sed ne unquam deficiat fides ejus, atque etiam ipsos fratres et coapostolos in fide confirmet? specialius quid ergo atque amplius pro Petro rogavit ac obtinuit utique Christus, quam pro cæteris apostolis. Porro infallibilitas successorum Petri non in his verbis Christi Lucæ 22 tantummodo, sed et in illis Matth. 16 et Joan. 21, simul fundatur. Loquor autem de infallibilitate non personæ, sed officii Petri in sensu a nobis supra explicato.

Dum Febronius suam interpretationem communem S. Patrum dicit, Italus c. l. eos consuluit, sed nihil tale invenit in Tertulliano, Cypriano, Hilario, Augustino, Prospero. Fors nec in aliis potiora quis invenerit, sed sufficit, nos semel illusos, atque Febronium falsi reum esse. Testimonia pro infallibilitate capitis et sedis apostolicæ plura produximus hinc inde cap. 1 in notis, atque etiam pro ea ex textu Lucæ 22, aliqua citavimus post cap. 1 in append. plura adhuc addi possent. Solum hìc affero, quæ S. Agatho P. in litteris ad Imperatorem Constantinum Pogonatum scripsit. *Spirituales oves Eccle-*

siæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit (Petrus) *cujus annitente præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est; cujus auctoritatem, utpote apostolorum omnium principis semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiæ Christi lumina claruerunt, et sancti quidem doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt: hæretici autem falsis criminationibus ac derogationibus odio insecuti. — — Hæc enim est veræ fidei regula, quam et in prosperis et in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis mater tranquillissimi imperii, apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei christianæ percepit ab auctoribus suis apostolorum principibus, illibata fide tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris evangeliis fassus est: Petre, inquiens, ecce Satanas expetivit, ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc scripsit S. Agatho summus Pontifex: quid contra ejus auc-

toritatem excipere vales? scripsit ad Græcos, qui Romano episcopo nunquam nimium adulabantur: scripsit autem, Romanam Ecclesiam nunquam errasse, ejus fidem illibatam permanere, nec erraturam esse. Ex verbis Christi Lucæ 22. *Ego rogavi pro te, Petre, etc. etc.* quæ tu in alienum sensum detorques.

Neque hìc stamus. Hæ litteræ Agathonis et verba lecta sunt in concilio œcumenico VI, act. 4, quid ad has Patres Græci in concilio? num fors negarunt illam indeficientiam sedis apostolicæ in fide? num fors verba et promissionem Christi Petro factam aliter interpretati, vel ad successores non pertinere dixerunt? nihil horum. Singuli Patres singillatim suo ordine assentiebantur, et postea in acclamatione universum concilium dixit, *per Agathonem Petrus loquebatur*, et in epistola synodali ad Agathonem P. *tibi ut primæ sedis antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus stanti super firmam fidei Petram, libenter perlectis veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus etc.* Cedat nunc Febronius cum suis interpretationibus, nos tanto concilio magis credimus. Confer. c. 1, § 10, in subsequentibus notis.

Ad 3, 4 et 5. Num posthæc adhuc audiendus Gerson? at non modo *particularis homo*, sed nec concilium generale potest ex propositione non

hæretica facere hæreticam aut ex catholica non catholicam, sicut nec ex vera falsam aut vicissim. De cætero, Gersonem non attendimus in depressione Pontificiæ potestatis nimis absorptum, qui et de Papa semper tanquam *persona particulari* et præcisa ab Ecclesia loquitur, et nihilominus Febronio nimium dicere videtur, qui neque ejus declarationibus contentus, eum amplius adhuc restringit ac corrigit, ut adeo Febronio neque cum Gersonio sentire sufficiat. Vid. infra hoc c. § 3 ad 4 in not.

Adhuc præterire non valeo, Febronium contra infallibilitatem Rom. Pontificis hinc inde textum Lucæ 22, variis argutiis cum Alexandro Natali ad solum passionis tempus et perseverantiam finalem Petri in fide restringere, atque in Daniele Bertono tit. 1, § 3, inter alia sic argumentatur : *si hac voce, confirma fratres tuos, fratrum appellatione apostolos intelligamus, certum est, eos, postquam Christi resurrectione, præsentia, convictu, donis, permultisque miraculis, ac demum effusione Spiritus S. abunde illustrati atque roborati sunt, opus non habuisse, ut in hac fide a S. Petro confirmarentur. At vero si nomen fratrum amplietur, et ad quoscunque fideles extendatur, nemini catholico dubium esse potest, quin B. Petrus facultatem illos confirmandi habuerit, quia hoc illi cum primatu delatum est.* Matth. 16 et Joan. 21. Et infra : *hoc casu idem jus non tantum B. Petro, sed omnibus etiam apostolis atque*

episcopis proportionatim et respective competit, quia confirmare fratres nihil aliud est, quam actus hierarchicos exercere, illuminando per doctrinam, definiendo dubia circa hanc mota, profligando hæreses et errores, obfirmando fideles in fide.

Oculatiorem certe credidisses adversarium, qui quidquid dicat, suis se laqueis constringit, e quibus ipsum ne quidem Alexander Natalis, ad quem provocat, extricare valet. Si verba Christi et mandatum confirmandi fratres ad solum tempus Dominicæ passionis restringitur, quare Petrus obsecutus non fuit? certe nullibi in scripturis legitur, eum hoc tempore in fide confirmasse fratres et discipulos, imo Petrum non minus, ac reliquos non tantum confirmatos, sed dubios, fluctuantes atque incredulos toto eo tempore fuisse, donec ab ipso Salvatore redivivo confirmati sunt, S. scriptura manifeste testatur. Nam cum Matthæi 28, mulieres undecim discipulis nuntiabant, Christum resurrexisse, et se ipsis manifestasse, adhuc quidam dubitabant. Marci 16, illi undecim discipuli nec Mariæ Magdalenæ, nec duobus discipulis euntibus in Emaus credere volebant, quod Magister viveret, et ipsis apparuisset, ita ut postea Christus illis exprobraret incredulitatem et duritiam cordis, quia his, qui ipsum viderant, credere noluerunt. Lucæ 24, cum mulieres nuntiarent undecim apostolis, Christum resurrexisse, existimabant fabulam esse, neque illis credebant. Joan. 20. Thomas neque reliquis apostolis, se

dominum vidisse testantibus credere volebat. Qualiter ergo Petrus coapostolos et confratres eo tempore in fide erga suum Magistrum et Dominum confirmavit, quando non minus ac reliqui ipse tristis, dubitans atque incredulus exstitit? et cur Christus non magis Petrum, sed æque omnes propter incredulitatem increpavit, quando ille præceptum confirmandi fratres neglexit? num ideo dignus erat, ut ei mox omnes oves Christi pascendæ committerentur, qui tam negligenter in exsequendo Christi mandato hoc triduo se exhibuit? certe verba Christi ad Petrum, *confirma fratres tuos*, pro tempore passionis neutiquam quadrant, nec etiam a Petro adimpleta fuerunt, sicque oratio Christi sine fructu et frustranea fuisset. At dicit: post hoc tempus apostolos resurrectione, præsentia, convictu Christi, atque Spiritu S. abunde illustratos et in fide confirmatos hac Petri confirmatione amplius opus non habuisse. Et ego dico, hoc Christi mandatum neque frustra datum, nec frustraneum fuisse. Saltem opus habebant a tempore ascensionis Christi in cœlum usque ad adventum Spiritus S., ne iterum ejus absentia in tristitiam, dubitationem et tentationem laberentur; quippe apostoli primum in festo Pentecostes per immissionem Spiritus S. perseveranter ac finaliter in fide et gratia confirmati sunt. At tunc post ascensionem Christi Petrus jam erat primas et princeps apostolorum constitutus, jamque primatus officium actu exercebat in electione novi

apostoli Matthiæ. Neque tunc soli apostoli erant, quos confirmare debebat Petrus, sed et alii discipuli ac fratres Domini; imo tota Ecclesia eo tempore cum mulieribus fuit congregata, *erat* quippe *simul turba hominum centum viginti.* Act. 1. Igitur mandatum et verba Christi, *confirma fratres* tuos, non ad tempus passionis, neque ad solos apostolos referri debent, sed revera his primatus Petri denotatur, nisi velis, verba Christi nihil omnino voluisse, et mandatum istud a Petro adimpletum non fuisse, sicque frustra pro Petro rogasset Christus, quod impium foret. Sed ais, si nomen *fratrum* amplietur, et ad quoscunque fideles pertinet, ea verba utique de *primatu* intelligenda esse.

Verum id ipsum est, quod nos dicimus. Dum autem prosequeris, idem jus etiam cæteris apostolis et episcopis *proportionatim et respective* competere. Respondeo : si ad primatum pertinet, utique non est idem jus, secus non Petro, sed singulis apostolis *primatus* concessus fuisset, atque in singulis episcopis inexisteret. Interim caute adhuc distinguis, atque restrictione uteris, sicque distinguendo nostram omnino sententiam fateris. Episcopi possunt confirmare fratres exercendo actus hierarchicos, illuminando per doctrinam, definiendo dubia, profligando hæreses et errores, obfirmando fideles in fide : sed hoc possunt tantum *proportionatim et respective* ad suos subditos diœcesaneos, non universaliter in toto orbe, neque possunt talia infallibiliter. Quare? quia Christus

rogavit pro sola indeficientia Petri in fide, in qua eum confirmare fratres jussit, et quia, ut ipse fateris, hoc ad primatum pertinet, at hujus solius officium est, universaliter confirmare fratres, cui soli omnes oves pascendæ commissæ sunt. Igitur hoc jus non est idem in Petro et cæteris apostolis atque episcopis, sed in his limitatum ad ipsam fidem Petri stabilem, et restrictum ad suas respective ecclesias.

Dum autem Febronius continuo Alexandrum Natal. cum cohorte Patrum opponit, præter ea, quæ jam supra ad num. 2 dixi, videantur Augustin. l. de corrept. et grat. c. 18, Chrysost. hom. 83 in Matth. Theophilact. in c. 22 Lucæ, Lucius P. epist. 1 ad episcop. Gall. et Hispan. Gregor. M. lib. 6, epist. 37 ad Eulog. S. Leo sermon. 3, de assumpt. sua. Nicolaus I, epist. ad Michael. Imper. S. Leo IX, epist. ad Petrum Antioch. Bernard. epist. 190 ad Innocent. P. item serm. de S. Joan. Bapt. S. Thomas 2, 2 q. 1 a. ult. Joan. Constant. ad Hormisd. P. Jam supra dixi, plures adhuc addi posse; in vanum ergo et falso in maxima Patrum et tractatorum ecclesiasticorum parte gloriatur adversarius.

§ II.

In materiis disciplinæ Papa non habet potestatem obligandi totam Ecclesiam.

Imo ne generalium quidem conciliorum decreta in materia disciplinari particulares ecclesias obligant sine receptione.

Leges etiam pro universa ecclesia legitime latæ non obligant, nisi in provinciis debite promulgatæ : semel autem receptæ non possunt ad beneplacitum Papæ mutari.

Disciplina ecclesiastica, quoad partes *essentiales*, per Jesum Christum instituta, per apostolos aucta, et per concilia tum generalia, tum particularia in eam formam, qua modo constat, redacta fuit. Quoties autem lex generalis lata est, etiam omnibus ecclesiis debite promulgata fuit, uti de synodis Arelatensi, Nicæna, Sardicensi, Chalcedonensi, Lateranensi circa communionem Paschalem sub Innocentio III et Tridentino circa matrimonium clandestinum constat. Habent etiam diversæ nationes et particulares Ecclesiæ particulares usus, et consuetudines laudabiles, dummodo communibus, et essentialibus Ecclesiæ legibus non repugnent. His derogare non creditur esse in Pontificis potestate.

1. Diversæ ecclesiæ diversam habent liturgiam, ut S. Basilii, S. Chrysostomi, Ambrosii, Africana.

2. Innocentius I epist. ad Decent. Eugub. primus prætendit, occidentales ecclesias romano ritui subjicere, quia apostolus Petrus aut ejus successores omnes in occidente instituerunt ecclesias. Verum hic discursus laborat fundamento, cum verisimile non sit, nullum apostolum, præter Petrum, in toto occidente evangelium prædicasse, aut instituisse ecclesias. Dein effectu caruit intentio Papæ, quod evincunt missa Ambrosiana, Mozarabica, Gallicana.

3. Ex Conrado Urspergensi refert historiunculam, qua Leo IX P. Wormatiæ diaconum Moguntini episcopi lectionem non ritu romano decantantem, et post dehortationem Papæ, non tamen desistentem degradavit, sed protestante Moguntino, atque diaconum suum resposcente, iterum reddidit.

4. Pontifex, postulante necessitate vel utilitate, potest universali Ecclesiæ leges *proponere*. Has, propter *intrinsecam* earum bonitatem et æquitatem, episcopi tenebuntur acceptare, si judicent aptas bono religionis et disciplinæ, nec statui publico aut imperio præjudicium afferre. Ita de Marca, Barthel. Sic attendi non debent in corpore juris constitutiones Papales, quibus ei asseruntur jura temporalia, aut circa hæc quædam eminentiores prærogativæ.

5. Si regimen Ecclesiæ etiam arbitrarium et monarchicum esset, in tanta regionum, morum et geniorum etc. varietate, ad officium episco-

porum pertineret, dispicere et ponderare, an leges romanæ suis populis utiles forent, an potius graves, et gignendis tumultibus aptæ.

6. Ne generalium quidem conciliorum decreta sine ecclesiarum et regnorum acceptatione vim et effectum legis obtinent : et hæc unica ratio est, quare œcumenicarum synodorum canones alibi observentur, alibi non, et quod decreta Tridentini in Gallia non vigeant, quod auctor testimoniis ex Gallia probat. Qua ratione, modificationibus et restrictionibus in aliis regnis et provinciis receptum sit, citat pro republica Veneta Marosini histor. Venet. pro regno Neapolitano Giannone *Hist. civile du Royaume de Naples*, pro Hispania eundem, pro regno Poloniæ vitam cardinalis Conmendoni, pro Belgio Van Espen.

7. Ivo Carnutens. epist. 180 ait : *si privilegiis nititur ecclesia Rhemensis, illa privilegia apud nos nulla sunt, quia nec in generalibus conciliis, nobis audientibus, sunt recitata, nec ad ecclesias nostras epistolari maturitate directa, et ut manifestius dicamus, nulla nobis familiari vel publica relatione prolata. Illius ergo legis prævaricatores non sumus, cujus auditores nunquam fuimus ; quæ tamen si audita esset, nihil nobis obesse posset ; lex enim justa debet esse, et possibilis, loco et tempori congruens.*

Publicatio et acceptatio in legibus pontificiis singularius necessaria est. Quod bullæ Pontificiæ in sola urbe promulgatæ fuerint receptæ, est

petitio principii, de quo hìc movetur quæstio. Clausulæ autem recentiores, quibus lex solam publicationem Romæ factam obligare declaratur, eadem argumenta ac bullæ ipsæ contra se pati debent. Hoc duritiem, et dominatus secularis asperitatem sapit : non sic fecêre principes Gentium. At Romanis non tanta insidet asperitas, politia utuntur : stylum induxêre, ut publicatio Romæ in campo Floræ facta pro universo orbe valeat. Sapientiores nôrunt, quantum in his sit roboris et juris.

8. Teste Flodoardo, hist. eccles. Rhem. lib. 3, c 21, dum Galliæ episcopis objiceretur, eos solum sibi faventibus Pontificum decretalibus uti, Hincmarus contra obtrectatores suos in synodo Tricassina, et in apologetico respondit, *se decretalia Pontificum Romanorum a sanctis conciliis recepta et approbata recipere, et sequi discrete, prout sunt sequenda.* Galli sic loquentes dicuntur uti *libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Ipse Nicolaus I ad Galliæ episcopos scribens ait, decretales epistolas debere reverenter assumi *discretione vel dispensatione magistra.* Legislatoria potestas Papæ in aliis orbis partibus haud major est, quam in Gallia ; igitur omnibus commune est, quod vere dixit egregius quidam Galliæ jurisconsultus. *Tot habemus libertates, quot novas habent, aut formare possunt Romani prætensiones, alienas ab antiquo et genuino jure communi.*

9. Summus Pontifex non potest abolere, vel

derogare legibus universalibus conciliorum generalium, quia his est inferior. Id sæpe agnovêre ipsi Romani Pontifices. Vid. Gibert. Natal. Alex. de Marca, et Gratianus caus. 25, q. 1, c. 7. *Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, nec apostolicæ quidem sedis potest auctoritas. Apud illam enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.*

10. Juxta librum diurnum Rom. Pontificum in professione fidei, quam olim emittebant, spondebant se traditionem probatissimorum suorum prædecessorum servare, canones et constituta Pontificum Romanorum ut divina et cœlestia mandata custodire.

11. Adversum hæc si curia Romana attentare præsumat, non episcoporum tantum erit, efficax ponere remedium, servando suo genuinis canonibus vigori, sed et Principum secularium. Petrus de Marca lib. 6, cap. 36, id probat exemplis Imperatorum et Regum Galliæ.

12. Non sicut ad legem *disciplinarem*, ita ad dogma fidei publicatio in provinciis necessaria est, quia fides non dependet a publicatione et executione decreti dogmatici, et quivis assensum præstare tenetur, quacunque ratione articulus ab Ecclesia declaratus et definitus ei innotescat.

NOTA.

Etiam Rom. Pontifices, quando volebant suas decretales ubique pro lege suscipi, eas non minus per synodos provinciales, vel per episcopos promulgari faciebant, de quo cap. 2, in not. et alibi talia exempla dedimus. Quod ait auctor, non credi, a Papa diversarum nationum laudabilibus consuetudinibus derogari posse : dico ego, eas potius tolerari spiritu ecclesiæ, qui mitis atque benignus est, et infirmitatibus filiorum indulget. Huc quippe pertinet illud Gelasii epist. 167 ad Rustic. *sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum aut pro necessitate rerum oporteat temperari.* Valet hìc quoque illud Alexandri III ad archiep. Ravenat. *Si quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes, qualitatem negotii diligenter considerans aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam prætendas.* Ac denique illud Gregorii VII, epist. ad Sanctium, Arragoniæ regem, quod etiam eximie laudat Febronius cap. 2, § 7. *solet sancta et apostolica sedes pleraque considerata ratione tolerare.* Nempe aliud est, derogare non posse, aliud non velle : primum adhuc Febronio probandum restat. Sic pariter

Ad 1. Febronio incubuisset probare, non quod

diversa sit apud varias ecclesias liturgia missæ, quod nemo nescit, sed quod diversa sit contra voluntatem et legem Pontificis, neque hic diversitatem istam prohibere aut tollere possit. Diversa est sciente, et non contradicente Papa; imo in urbe Roma Græci sua liturgia publice utuntur.

Ad 2. Ergo falsum dixit Innocentius I, nullum in occidente, præter Petrum et ejus successores, instituisse ecclesias? quo argumento id probat Febronius? nullo omnino. Solum dicit, id *verisimile* non esse. An vero Innocentius post tertium mox Ecclesiæ seculum non melius noverit, quis in occidente instituerit ecclesias, quam hodiernus scriptor? falsa esset etiam traditio communis tempore Innocentii, ad quam provocat Pontifex, dicens: *cum manifestum sit, — — nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus apostolus, aut ejus successores constituerint sacerdotes*: et hoc ideo tantum, quia Febronio *verisimile* non videtur. Siccine licet veterem traditionem, et maximorum Patrum testimonia exsufflare? dein ait: *effectu caruit intentio Papæ*. Quare? quia missæ Ambrosianæ, Mozarabicæ et Gallicana adhuc perstant. At ubi in epistola ad Decentium Pontifex istas missas abrogare, aut tollere statuit? an non ipse haud obscure aliquibus ecclesiis aliam esse consuetudinem fatetur, dum ait, *aut alterius ecclesiæ, quam Romanæ, existimant consuetudinem esse servan-*

dam. Has aliarum ecclesiarum consuetudines non reprobat, nec prohibet Innocentius, sed novitates perstringit, quas quidam absque auctoritate inducere volebant, et pro libitu, quam prius non habebant, alterius Ecclesiæ consuetudinem sequi. Quippe ait : *quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ab omnibus debere servari, nec superinduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum*. Non ergo illas particulares ecclesiarum consuetudines approbatas, vel diu toleratas tollere, sed privatas novitates, et imitationes alterius ecclesiæ, nulla adhuc auctoritate munitas prohibuit. Sic effectu non caruit intentio Papæ.

Ad 3. Non factis et historiunculis, sed traditione et legitimis testimoniis ponderanda res est. Auctor historiæ moderationem Papæ et cessionem, quod episcopo Moguntino reddidisset diaconum, ejus humilitati, non defectui potestatis adscribit : neque Moguntinus, degradato a Papa ejus Diacono, de actus invaliditate protestatus fuit, sed omnino pro suspenso habuit; non enim eum ipse in pristinum gradum evexit, sed a Papa eum ad suam dignitatem restitui petiit; hinc sequitur, quod Febronius pervicaciter negat, nempe Papam jurisdictionis primatu in aliena diœcesi potiri, atque in ea actus jurisdictionis exercere posse. Unde historia systemati Febroniano adversatur.

Ad 4. Papa potest leges proponere, has episcopi propter *intrinsecam æquitatem* tenentur ac-

ceptare. Italus hoc principium vocat schismaticum, et revera tale est. Vix enim, aut nunquam talis lex ab omnibus acceptabitur, quando hujus obligatio non a præcipientis auctoritate, sed a præcepti materia dependet. Etiam lex civilis debet esse justa, rationabilis, et tendens in bonum commune : attamen penes quem est legis æquitatem et justitiam dispicere? num penes legislatorem, vel subditos? sed ais : Pontifex non pollet potestate legislativa, sicut princeps civilis : at id ipsum esset caussa schismatis, sedtionis et dissensionis. Quid! si princeps non gauderet potestate legislativa? si subditi legem *propositam*, propter solam *intrinsecam æquitatem*, acceptare tenerentur? num consultum foret reipublicæ et bono communi? utique non omnes eodem oculo vident, nec eodem sensu judicant? quotics de æquitate alicujus rei certatur, et quod hi justum putant et æquum, alii iniquum judicant? in tanta sentiendi, vel potius dissentiendi libertate, an ignorantia, diversitas opinionum, prætensa impotentia, repugnantia cleri vel laicorum, invidia, æmulatio, desidia etc. nihil poterunt, ut alius sic, alius aliter judicet de lege proposita? et sic nunquam lex stabilis et universalis, quantumcunque justa et bona introduci poterit, ni per miraculum omnium sensus in unum cogere possis. Cæterum, jam c. 3, §§ 7, 8 et 9 in not. ac alibi demonstravi, veteres Pontifices revera leges sanxisse, pœnas in non obedientes statuisse, prævie ad omnem

acceptationem vel consensum ecclesiarum et provinciarum : igitur pollent potestate legislativa in Ecclesia. Post veteres illos Pontifices unum adhuc addo Nicolaum I, epist. ad Photium. *Universitas credentium ab hac sancta Romana Ecclesia, quæ caput est omnium ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, exorant. — — Et ideo consequens est, ut quod ab hujus sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis propediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur.* Hæc Nicolaus P. tam præfracte contra patriarcham Græcum et superbum Photium proferre ausus non fuisset, si tum etiam in oriente systema Febronii valuisset, et Papa in doctrina fidei fallibilis, atque potestate legislativa carere creditus fuisset.

Dein ipse D. Barthel, quem pro se citat Febronius, in cod. lib. annot. ad jus can. tit. 2, de constitut. clare dicit : *summus Pontifex in materia spirituali pro tota Ecclesia potest ferre leges, quia illimitatam a Christo accepit potestatem pascendi, solvendi et ligandi etc., quæ ipsi tam in quam extra concilium competit, alioqui male provisum esset Ecclesiæ, cum concilia non semper convocari possint.* Loco autem a Febronio citato loquitur tantum de legibus Bursalibus, atque dum ait : *si objectum sit materia fidei et morum, suam utique obtinebunt auctoritatem. Si vero objectum sit æra-*

rium, fiscus et camera, tolerari potius, quam approbari dicantur, item D. Barthel nec verbo interjecto mox addit: *nec vulo hæretici* (imo nec Febronius, aliique) *omnem Pontifices potestatem contemnere valent, cum etiam in secularibus principibus multa tolerari debeant, quæ male constituunt, quin tamen Majestas propterea et vis potestativa sit destruenda.* Vae principibus! si hoc principium omnium temporum prave firmatum et certum non admittatur. Sed quare hæc omisit, truncavitque Febronius? nempe, quia ejus jugulum petunt. Eu! quantum distet clarus Barthelius a Febronio, qui cum sibi patronum elegit.

Ad alteram conditionem, quam adjecit Febronius, nempe, ne leges a Pontifice propositæ statui publico regni vel imperii præjudicent, respondeo, id ipsum utique et nos loqui de legibus, *quas necessitas vel utilitas Ecclesiæ hic et nunc postulare videntur*. Intelligimus autem hoc de statu vel regno vere christiano catholico, cui leges Ecclesiæ hic et nunc utiles vel necessarias magnum præjudicium afferre posse, nemo catholicus putat, quia reipublicæ summopere interest, ut religio in suo, rectoque statu conservetur. Si tamen una ex parte stet necessitas vel utilitas Ecclesiæ, ex altera bonum reipublicæ, nolim ego hic calculum ducere, quid et quantum præponderare debeat? res utique cum statibus et principibus catholicis habetur, qui non modo rectores reipublicæ, sed et defensores Ecclesiæ atque religionis sunt, et

quorum facilis est recursus ad Pontificem, unde etiam factum, ut multæ leges Ecclesiasticæ in variis provinciis non obligent.

Hoc tamen certum est, primis temporibus fidem et leges ecclesiasticas directe contra politiam et leges principum Ethnicorum pugnasse, easdem principibus hæreticis, vel hæresi faventibus repugnasse, quia Christus suam religionem et Ecclesiam voluit prodesse populis, non subesse politiæ seculi. Posterioribus temporibus, quando jam catholici Imperatores ad clavum reipublicæ sedebant, concordia sacerdotii cum imperio ita temperata fuit, ut in rebus ecclesiasticis solæ leges ecclesiasticæ valerent. Sic Marcianus Imp. judicibus ad synodum Chalcedonensem a se delegatis committit, ut caussa Dioscori non secundum leges *pragmaticas*, sed *SS. Patrum regulas* decidatur, cumque de hoc interrogassent synodum: *sancta synodus dixit: Contra canones nihil pragmaticum valeat, canones Patrum teneant.* Pariter Justinianus et alii Imperatores leges ecclesiasticas frequenter suis quoque edictis firmarunt hac vel simili clausula: *sacras sequentes regulas.* Hujus ille rationem dat constitut. 123, *si enim leges civiles, quarum potestatem fidei nostræ Deus concredidit, per omnia firmas ac stabiles conservari ad subditorum securitatem studemus, quanto plus studii debemus circa sacrarum regularum et divinarum legum observationem ponere, quæ pro salute animarum nostrarum definitæ et constitutæ sunt.* Vide de hoc fusius D. Barth. de jur. reform. antiq. art. 8.

Quas vero constitutiones circa *jura temporalia* Rom. Pontificum adhuc memorat Febronius, de his in præsenti non loquimur, sed solum de legibus materiam ecclesiasticam spectantibus, et præcipue quæ jam prioribus et antiquis canonibus continentur. Interim quivis iis se armis defendit, quibus præcinctus est.

Ad 5. In monarchico etiam regno diversarum provinciarum et morum ista non attenduntur, quominus potestas legislativa obtineat, quia in caussa difficili datur recursus ad principem. An putas, Romam, tot experimentis edoctam, nihil scire aut ignorare, quid hîc aut alibi conveniat? aut existimas, eam cuivis resistentiæ cedere debere?

Ad 6. Ait, ne quidem generalium conciliorum constitutiones sine ecclesiarum, regnorum ac provinciarum acceptatione vim legis habere, et tamen dicit: *his nemo catholicorum potestatem legislativam denegat.* Igitur non solum regna et status civiles, sed et ecclesiæ particulares conciliis generalibus resistere possunt. Quis antiquorum Patrum unquam sic docuit? ad quid potestas legislativa in conciliis generalibus? hæc toti antiquitati adversantur, et Febronius, veterum canonum restaurator, ea proferre audet!

Attamen ista in gratiam Gallorum dixisse videtur; quippe in exemplum adfert Tridentinum in Gallia non receptum non fuisse, aitque *per*

solam acceptationis necessitatem explicari posse rationem, ob quam aliis in locis œcumenicarum synodorum canones observentur, in aliis minus. Hæc tamen, si penitius inspiciantur, oppido falsa sunt. Aliud est, legem ecclesiasticam disciplinarem non obligare propter concordata anteriora, privilegia, vel quando ejus observantia impossibilis aut valde gravis redditur, et aliud est, non obligare propter solam non acceptationem. In priori casu, legislator non præsumitur obligare, aut præjudicium afferre voluisse, et in magna difficultate patet recursus ad Pontificem. In posteriori casu, si liberum erit cuivis provinciæ aut Ecclesiæ decreta disciplinæ non acceptare, ruit unitas, ordo in Ecclesia, et licebit cuivis, quod lubet. Mirum! Febronius Papam et Ecclesiam Romanam reformationi et decretis concilii generalis subjicit, alias minores et particulares ecclesias ab acceptatione absolvit? Quomodo ista cohærent? vel odium in Romanam Ecclesiam, vel schismata hæc aperte loquuntur. Sed in Galliam redeo.

Ecclesia Gallicana in concilio Tridentino fuit repræsentata per episcopos inibi præsentes, qui et decretis subscripserunt, et hæc subscriptio fuit utique acceptatio? etiam in ipso regno Galliæ clerus in variis conciliis provincialibus recepit concilium Tridentinum, nihilque decrat, quam publica et solennis decreto regio, pro more illius gentis, hujus acceptationis promulgatio et

executio. Etiam hanc clerus et episcopi sæpius et instanter impetrari studebant : duo opponebantur a statu politico, quædam libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ et juribus Regis adversari, deinde talem promulgationem Calvinistis occasionem novæ seditionis præbere. Præsules existimabant, his prætextibus viam occludi, si publicationi concilii adjiceretur clausula : salvo jure regis et privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ, *pour lesquels*, aiunt, *Sa Sainteté sera suppliée à ce qu'elles soient réservées et demeurent en leur entier*. Incidenter hîc observo, per hæc verba, præsules Gallicanos agnoscere in Rom. Pontifice auctoritatem et potestatem dispensandi super canones universales et super concilia generalia, dum a Rom. Pontifice supplicare volebant conservationem et indemnitatem suorum privilegiorum contra concilium generale.

Tandem, teste Mansi et Charlas, lib. 4 de libert. eccles. Gallic. c. 6, clerus Gallicanus in comitiis generalibus, præsentibus 3 cardinalibus, 5o episcopis et 3o secundi ordinis ecclesiasticis viris, anno 1625, sequens decretum subscripsit, atque etiam juramento confirmavit. *Les cardinaux, archevêques, évêques, prélats et autres ecclésiastiques représentans le clergé général de France assemblé par la permission du Roi au couvent des Augustins à Paris, après avoir mûrement délibéré sur la publication du concile de Trente, ont unanimement reconnu et déclaré,*

reconnoissent et déclarent, être obligés par leur devoir et conscience à recevoir, comme de fait ils ont reçu et recevoient ledit concile, et promettent l'observer en tant, qu'ils le peuvent par fonctions et autorité spirituelle et pastorale. Ecclesia ergo et clerus Gallicanus non solum acceptavit concilium Tridentinum, sed ad hanc acceptationem se in conscientia obligari declaravit.

At ais : solemnis, mediante decreto regio, publicatio et executio defuit. Verum est, sed hujus deficientiæ causa fuerunt privilegia et difficultas exsequendi propter Calvinistas, et Pontifex tandem cessit his rationibus. Hinc exemplum Galliæ Febronio nihil prodest pro sua opinione, nempe, quod cuivis Ecclesiæ, regno aut provinciæ liberum sit, leges ecclesiasticas non acceptare. Nam clerus et ecclesia Gallicana revera acceptavit, solemni publicationi et executioni vero obstitit privilegium et gravis difficultas.

Nos non dicimus, status ac principes debere acceptare leges disciplinares etiam tunc, quando turbas, tumultus etc. excitare possunt, vel alias regno et reipublicæ præjudicio sint; quippe legislator præsumitur voluisse, legem suam esse rationabilem, justam et bonam, qui de difficultate rite reformatus facile indulgebit. Verum ista multum absunt a vaga illa et generali libertate non acceptandi.

Eadem respondeo, nec majoris ponderis sunt, quæ scribit Gerbais dissert. de caus. major. art.

12, n. 6, qui Gallos nedum ab observantia concilii Tridentini, verum etiam a quolibet alio concilio absolvit, si nempe *acceptationem* in sensu Febronii intelligat. Quod attinet D. Pasquier, Parisiensis parlamenti advocatum, non puto, ad omnes exorbitantes advocatorum crises et aculeos respondendum esse; dum autem ait, Tridentinum in Gallia ideo non receptum fuisse, ne intra monarchiam Galliæ alia introducatur monarchia, sequitur, regimen Ecclesiæ a Tridentino agnitum esse monarchicum, et Febronium, qui id negat, Tridentino adversari. Hanc sequelam admittere debet Febronius, si ei in pretio sunt rationes D. Pasquier.

Nihilominus hisce oppono testimonia clarissimorum in Gallia Jurisperitorum, Cabassutium jur. can. theor. et prax. lib. 1, c. 4, ubi ait, Gallos Papæ potestatem legislativam non denegare, sed quod ejus leges, nisi recipiantur, non obligent, defectui voluntatis in legislatore attribuere, qui pro bono Ecclesiæ et publicæ tranquillitatis ad earum observantiam nolit adstringere. In eandem sententiam coincidit Carolus Feuretus lib. 1, c. 4, num 11, 24 et 25. Juvenin Instit. theolog. part 5, dissert. 6, q. 2, c. 4, Petrus de Marca de concord. lib. 3, c. 6, n. 5.

Verum quid de aliis regnis dicam, ubi Tridentinum non nisi cum modificationibus et restrictionibus receptum fuisse, ait auctor. Interim Pallavicinus lib. 24 testatur, rempublicam Ve-

netam mox finito concilio illud in Ecclesia S. Marci promulgari jussisse; et executionem oppidorum rectoribus injunxisse. Philippus, Rex Hispaniæ, aliis exemplum daturus, sine exceptione recipi jussit concilium in suis regnis, item in Belgio et Sicilia, quamvis privilegia monarchiæ in Sicilia, et jura Regis in Belgio obstare viderentur, et alia dissidia Papam inter et Regem gliscebant. In Polonia, oratione a Commendono habita, Ucangius Regni primas existimabat, prius expendenda esse, quæ liber concilii Tridentini continebat, antequam reciperetur, sed hæc propositio in senatu cum fremitu rejecta est, quod indignum sit, velle senatum supra concilium se judicem constituere, et statim sine ulteriori disquisitione et exceptione concilium receptum fuit.

Contendit Febronius, saltem hanc acceptationem in regnis necessariam fuisse. Dico, necessariam fuisse ad urgendam observantiam et executionem legis, et in hunc finem ipsi Pontifices in regnis eam petebant, at non necessariam fuisse ad vim legis. Galliæ præsules in comitiis, etiam non obstante, quod promulgatio solennis in regno facta non sit, testabantur, se in conscientia ad acceptationem concilii obligari, et hìc valet illud Valentiniani III Imp. pro decreto Leonis P. ad episcopos Galliæ. *Erat quidem ipsa sententia* (Papæ) *per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura.* —— *Sed illis* (Gallica-

nis episcopis) *omnibusque* (aliis provinciis) *pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas.*

Ad. 7. Ivo loquitur de privilegiis particularis Ecclesiæ, nos de legibus universalibus : ille de promulgatione, nos de acceptatione. Dein alia est ratio legis, alia privilegii : Ivo utraque confundit. Febronius hìc suggillat stylum curiæ, quo publicatio Romæ facta in campo Floræ pro universo orbe christiano valere debeat. Meminerit Febronius iterum, hìc nobis sermonem esse non de promulgatione, sed acceptatione legis ecclesiasticæ, sine qua ipse legem obligare negat. Sciat ulterius, multos et celeberrimos Romanarum partium auctores contendere, quod illa promulgatio Romana non sufficiat. Attamen in suo sensu et fine longissime distant a Febronio. Ideo enim illi negant, quia hic stylus est novæ disciplinæ, et illa promulgatio non videtur sufficiens pro toto orbe, nisi et in singulis provinciis ac diœcesibus fiat, non quod in Pontifice deficiat potestas legislativa : e contra, Febronius promulgationem in singulis diœcesibus non tam a Papa, quam ab episcopis aut magistratibus civilibus faciendam requirit, ut totam vim legis ad solam acceptationem referre, et in Pontifice potestatem legislativam negare possit. En! quomodo etiam bona in malum falsa interpretatione detorqueri possint.

Ad 8. Hincmarus iterum in scenam redit. De hoc viro alibi satis dixi, neque plene, uti optat,

favet Febronio : modo sic, modo aliter loquebatur, et tom. II, epist. n. 36, decretales epistolas Pontificum se venerabiliter suscipere profitetur, non solum receptas et promulgatas per canones conciliorum, sed et *diversis temporibus pro diversorum Patrum consolatione vel consultatione datas.* Vid. infra hujus cap. appendic. de legibus. Postea Febronius ait, potestatem legislativam Rom. Pontificis in aliis orbis partibus non majorem esse, quam in Gallia. At Gallia, juxta Febronium, non tenetur acceptare, imo resistere potestati legislativæ non solum Pontificis, sed et conciliorum generalium : ergo et aliæ mundi partes resistere possunt. Ad quid igitur potestas legislativa in Ecclesia circa disciplinam? quomodo perstabit uniformis et recta, quam ipse auctor nervum religionis, quo hæc sustinetur, vocat? profecto Babylonem, non Ecclesiam unam, Christum instituisse fingit. Jam dixi, Galli quandoque sua privilegia obtendunt, an hæc sunt omnibus communia ? vel an commune privilegium datur, potestati legitime præcipienti non obedire ?

Ad 9. Quod Pontifex sine caussa leges conciliorum generalium abolere, aut iis derogare non possit, non est ratio illorum superioritas supra Pontificem, sed lex naturalis, qua debet curare et conservare bonum commune, et divina, ex officio, quod gerit, pastoris, cujus est, leges gregi suo utiles non solvere, sed adimplere; his rationibus utique leges Pontificias conservare tenetur.

Ad 10. Eadem est responsio. Dein promittebat Pontifex, canones et decreta prædecessorum Pontificum, *ut divina et cœlestia mandata custodire.* Habebant igitur vim legis : sic Febronius sibi ipsi contraria affert.

Ad 11 et 12. Non negamus, quod ait de Marca, quod principes seculares possint observantiam canonum urgere, additis modis faciliorem eorum executionem reddere, etiam eos accommodare ad utilitatem regni : sic enim agunt ut defensores Ecclesiæ, et Pontifices de eo rite informati non erunt inviti. Verum hæc potestatem legislativam in Pontifice non excludunt, sed præsupponunt; quippe non de substantia legis, sed de modo executionis et observantiæ agitur; minus inde resistentia, uti consequi vult Febronius, probatur, sed subsidium et complementum eorum, quæ hìc et nunc deficiunt, a potestate politica obtinent. Et hoc est, quod Nicolaus I ad Galliæ episcopos ait, decreta Pontificum ab omnibus debere reverenter assumi *discretione vel dispensatione Magistra.* Nempe cum omnium regnorum et provinciarum circumstantias vel difficultates suis decretis modo obsistentes semper et ubivis scire non possunt, de his informati lubenter discretionem admittunt, vel etiam dispensant.

Hoc tempore in manus nostras incidit epistola clarissimi viri Joannis de Palafox et Mendoza, episcopi Angelopolitani et Regii Indiarum consilii decani, data ad Innocentium X. PP. 8. Jan.

anno 1649, testimonium hujus viri, qui maxime hoc ævo ob controversias cum Jesuitis habitas inclaruit, eo minus cuipiam suspectum esse potest, dum ipse ab eximia sua virtute et doctrina ubivis in veneratione est, de cujus beatificatione jam diu Romæ agitatur, et Rex Hispaniarum sæpius obnixe expetiit.

Hic præsul de nostro argumento circa potestatem legislativam Rom. Pontificis multum tractat in cit. epistola, occasione controversiæ cum Jesuitis, qui se contra constitutiones Gregorii XV et Urbani VIII, item contra brevia Innocentii X defendebant, opponentes, privilegia sua concessa propter merita, quæ proin in pacta transiissent. Dein quod illæ constitutiones et brevia *non sint ab Ecclesia receptæ, neque consuetudini traditæ; leges vero, quæ non admittuntur, pro legibus non computari.* Jam ad hæc ita respondet episcopus.

Iste constitutionum apostolicarum et privilegiorum interpretandi Jesuitarum modus non tantum negotio ipso ingratus et molestus est, sed etiam doctrinæ fidei et apostolicæ sedis auctoritati et dignitati molestissimus et nocentissimus. Nam hac interpretatione auctoritas et potestas Pontificum infringitur, Ecclesiæ gubernatio turbatur, et omne sacræ jurisdictionis robur et dignitas debilitatur, et quod nefarium est, omnes pene a sede apostolica constitutiones, quæ quotidie magno Reipublicæ christianæ commodo statuuntur et divulgantur,

ad inanem et quamdam vanam et umbratilem legum formam redigantur. —— Si Pontificibus posterioribus non licet reformare, quæ ab antecessoribus sanctissime constituta, tractu temporis propter varias humanarum rerum vicissitudines et caussas reformatione vel mutatione indigent, et quæ ipsi, si viverent, reformarent, posterior quidem Pontifex erit minor dignitate, auctoritate et potestate anteriori, et orbata videbitur Ecclesia area ea, quæ remediis indigent, capite universali, et judice controversiarum supremo: et non tam Pontifices summi, fidei directores et judices, quam antecessorum legum, constitutionumque vocabuntur executores, quod asserere nefandissimum est. Leges enim condere, revocare, edere, temperare, et ad suam observantiam populos et ecclesiasticos ordines compellere, cuivunque vicario Christi Domini Rom. Pontifici æqualiter competit sine limitatione aliqua, salva solum lege naturali et divina, quod nemo catholicus hucusque negavit. Et infra: *ideo hæc Jesuitarum opinio, istaque inspiratio vel illuminatio, et interpretandi constitutiones apostolicas methodus, quia apostolica quidem non est, apostolica indiget virga censoria. Nihil enim apostolicæ sedis observantiæ, obedientiæ et reverentiæ sapit.* Superius etiam dixerat *si a voluntate pendet subditorum constitutionum robur et validitas, vana est et nulla superiorum potestas.* Verba hæc per se clarissima nulla interpretatione indigent. Permagni Febro-

nii ejusque fautorum intercerit, hujus viri apotheosin tantis studiis hactenus expetitam, iterum impedire, ne simul cum ipso hæc epistola et doctrina canonizetur, vel quod ipsis pariter non placebit, Jesuitas innocentes declarare. Certe inter accusationis capita, ob quas societas Jesu abolita fuit, nequaquam minima erat inobedientia erga constitutiones apostolicas, de qua Jesuitæ non ab episcopis solum, sed etiam a principibus, et inter hos præcipue ab Hispaniarum Rege anno 1769, porrecto in hunc finem Clementi XIII P. commentario, accusabantur. Nihil profuit eis exceptio, illas constitutiones, de quarum inobedientia petebantur, non obligare, quia ab Ecclesia non erant receptæ. Accusati sunt, damnati, ejecti. Attamen juxta Febronianos valet, et justa est hæc exceptio: igitur, juxta eosdem, in hoc puncto innocui erant Jesuitæ, sicque inviti horum patronos se agunt.

Quid præstantissimo episcopo de Palafox responsurus sit Febronius, facile conjicio: nempe eum falsis decretalibus enutritum, atque deceptum esse. Hoc solitum refugium, et vetus cantilena Febronii, suique similium est, quando non habent, quod ad objecta respondeant. Verum hæc nec parce eruditis, multo minus cordatis viris persuadebit. Frivola et inania figmenta hæc sunt. Nam omnino sanæ rationi adversatur, ne quidem verisimile, non dicam, credibile est, quod novus legislator toto orbi, quin id resciret, aut

adverteret, fuerit obtrusus, et quod omnes fideles sese submiserint ejus jurisdictioni, de quo prius constaret, nullam habuisse. Agitur hìc de maximi momenti caussa, unde Ecclesiæ gubernatio plurimum dependet, atque, si systema Febronii verum esset, status Ecclesiæ totus quantus immutatus fuisset. Profecto talia dicere non vales, nisi omnes episcopos, doctores, imo integra etiam concilia œcumenica, et totam Ecclesiam a seculo nono usque huc simplicitatis, ignorantiæ, quin et prævaricationis, sanctissimos Pontifices arrogantiæ, ambitionis, doli, fallaciæ et maximæ perversitatis accuses. Tam effrons autem et tantæ impudentiæ inter catholicos nullus exstitit. Lege caput 2 in notis, et videbis, novissimos criticos et auctores, qui falsas decretales plurimum accusant, atque inde Rom. Pontifici maxima incrementa auctoritatis accessisse volunt, eidem nihilominus jurisdictionem in universa Ecclesia jure divino competere, hancque catholicam sententiam esse asserunt. Ita Petrus de Marca, Natalis Alexander, Maimbourgus, Fleurius, Barthel, Riegger etc.

§ III.

Collectiones canonum, non nisi ex receptione et observantia juris vigorem obtinent, hoc nominatim verum est de decreto Gratiani, de decretalibus Gregorii IX et reliquis partibus juris canonici. —— Eadem, imo minor ratio habetur regularum cancellariæ, Bullæ Cœnæ, et declarationum concilii Tridentini.

1. Probat auctor, decretum Gratiani a privato homine compilatum, nullam per se auctoritatem habere, nisi quatenus habent fontes genuini, unde desumptum est.

2. Idem dicendum de decretalibus Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementinarum, quæ solum pro usu scholarum et judiciorum directæ, nulla lege communi pro universa Ecclesia munitæ sunt.

3. Hæ declarationes Pontificum eatenus suum habent effectum, ut jus civile romanum in dubio vel in defectum juris patrii et particularis, seu scripti, seu consuetudinarii, pro jure communi habeatur, ita ut in defectu juris ecclesiastici particularis, ubi difficultas occurrit, a jure canonico interpretationem accipiat.

4. Jus publicum ecclesiasticum a Christo et apostolis institutum, et fundamentalibus regulis ab Ecclesia receptis innixum mutare non potest Pontifex : et tamen hoc egregie factum, quando

auctoritas Papæ per falsas Isidori decretales in immensum aucta, et ea episcoporum et conciliorum particularium depressa fuit. Quidam Galliæ jurisconsultus non inepte scripsit, decretales Gregorii IX ad probandas curiæ et sedis Romanæ excessivas prætensiones et prærogativas citare, idem esse, ac allegare manifesta Regum Angliæ pro prætensione regni Galliæ. Idem magis obtinet de Sexto decretalium et Clementinis, de quibus Gerson tractatu de modo reformandi Ecclesiam, ait cap. 5, hos libros fecisse arrogantiam, superbiam, juris ordinariorum usurpationem, Romanorum Imperatorum injuriosam detractionem etc. etc.

5. In Bulla Cœnæ stabilitur absoluta monarchia Papalis, condemnantur receptæ in Gallia appellationes ab abusu, eximuntur clerici a jurisdictione magistratus politici etc., sub excommunicatione actuali; hinc vel Romani Gallos pro excommunicatis habere debent, quod tamen non faciunt, vel ipsi agnoscunt, publicationem decretorum Pontificiorum Romæ factam, alibi effectum non producere: quin etiam sequitur, quod Galli nullam in summo Pontifice jurisdictionem et potestatem legislativam in aliis diœcesibus agnoscant. Idem de Germanis dicendum erit, qui Bullam Cœnæ in Germania simpliciter receptam non esse asserunt. Teste D'ancel, Rudolphus II Bullam Cœnæ in Bohemia promulgari jam cœptam cohibuit, et dixisse fertur, ne Bullæ Pontificiæ deinceps eo non conscio et probante promulgentur,

et executioni mandentur, archiepiscopum Moguntinum quoque noluisse publicare sæpe dictam Bullam.

6. Regularum cancellariæ aliæ receptæ sunt in Gallia et Germania, aliæ non. Illæ, propter intrinsecam æquitatem, istæ, quia cum jurisprudentia ecclesiastica Gallica et Germanica non concordant. Quoad aliquas sic receptas, non admittitur derogatio aut dispensatio Papæ. Ita de Gallia Hericourt. *Lois ecclésiast.* p. 1. c. 15, § 10, de Germania Barthel annot. ad jus can. lib. 3, tit. 5.

7. Declarationes concilii Tridentini Pontifices pro lege habere volunt : hæ tamen non a viris e provinciis, unde difficultates oriuntur, evocatis juxta Tridentinum sess. 25, sed a præjudiciis Romanæ curiæ præoccupatis et ad constitutiones non receptas conduntur. Tales fuêre Prosper Lambertini et Fagnanus. Quandoque in hoc excedunt, quod sensum concilii ultra proprietatem verborum, imo contra litteram et mentem synodi extendunt.

8. Guilielmus Major, episcopus Andegavensis, apud Dacherium in spicilegio tom. XI, pag. 258, anno 1312 ait, si quatuor principalia concilia et decreta Pontificum servarentur, non opus fore *onerosa novorum multitudine statutorum : illa sancta statuta revocare, renovare et in lucem reducere esset perutile toti mundo, et panes similagineos sanctorum antiquorum Patrum mensis apponere filiorum potius, quam siliquas porcorum,*

et panes furfureos modernorum. Ita vocat recentiores decretalium collectiones, panes similagineos vero antiquos illos canones.

9. Decisiones Rotæ per se majorem auctoritatem non habent, quam arresta et judicata aliorum tribunalium. Prætendunt tamen Curialistæ, plures sententias rotales conformiter latas, efficere aut monstrare *stylum curiæ*, a subordinatis tribunalibus sequendum, et qui quodammodo jus faciat. Sic ex dictis cap. 3, § 11, dispicere possumus, quo jure nolentes volentes uti cogamur, ni sententias nostras in via appellationis Romæ reformari velimus. Prudentiores suadent, uti in diœcesibus nostris utamur *jure vero*, non *falso* Isidori, quod Rota sequitur, omnique studio caveamus a Dicasteriis, quæ talem sibi stylum et jus efformant.

NOTA.

Ad 1, 2 et 3. Febronius, qui Rom. Pontifici potestatem legislativam denegat, ex hoc fundamento non solum *singularibus constitutionibus*, sed et *integris collectionibus* auctoritatem detrahit. Aliter eruditi loquuntur. Decretum Gratiani *per se* et ab auctore suo auctoritatem legis non obtinet, quia hujus compilationis auctor fuit homo privatus, neque ab ullo Pontifice publica auctoritate pro universa Ecclesia donatum fuit, præterea multa dicta SS. Patrum et conciliorum particularium continet, quæ per se vim legis in Ecclesia non

habent. Hæc igitur est ratio, quare decretum Gratiani per se vim legis non obtineat, non defectus potestatis legislativæ in Pontifice. Obtinet tamen decretum Gratiani auctoritatem suam ex receptione, usu, observantia et diuturna possessione, atque æqualem vim absolutam decisivam. Vid. Barthel annot. in proœm. P. Engel.

De decretalibus Gregorii IX et Sexto decretalium, quas D. Barthel vim legis decisivam, quoad omnia, habere vult, quidquid sit, qui id affirmant, ea ratione ducuntur, quia summ. Pontificum jussu et auctoritate editæ sunt, atque specialiter approbatæ. Qui id negant, nullam a Papa legem communem de his ad universam Ecclesiam directam esse contendunt. Igitur tota vis auctoritatis utrobique in sola potestate Papæ quæritur.

Porro quæ Febronius in suo Daniele Bertono, et alibi contra decretum Gratiani et decretales iterum recoquit, jam satis præoccupata sunt supra cap. 2, in not. item cap. 3, § 7 ibid. Nos igitur non decreti et decretalium compilatoribus, neque integris compilationibus auctoritatem legislativam per se asserimus, sed eam, quam vel merentur fontes, vel quatenus usu, observantia et praxi quædam ab Ecclesia recepta sunt. Spuria autem et adulterina, interpolata, falsa etc. ab eruditis jam detecta sunt. Quis hisce auctoritatem modo tribuit? neque potestas et jurisdictio Rom. Pontificis ex spuriis decretalibus, sed ex veterum traditione, genuinis et receptissimis Patrum, con-

ciliorum et Romanorum Pontificum decretalibus probatur, uti cap. 2 et 3, præcipue § 9 convincenter luculenterque demonstratum fuit.

Pariter quæ posterioribus seculis summi Pontificis ad se traxêre, vel reservarunt, pro caussa et fundamento non habent falsas decretales. Ibid. Item cap. 4 in not. ideoque quanquam iis, vel potius in eorum *usu* et *exercitio* quandoque excessus vel abusus irrepserint, ea tamen omnia simpliciter abusus, corruptelas, usurpationes vocare, vel idcirco Papam omni potestate et jurisdictione spoliare, vel invidiam, vel inscitiam spirat.

Dum autem tom. IV et alibi Febronius sustinet, novum jus canonicum per Isidori decretales introductum esse, merito abolendum, illud nulla possessione, præscriptione, usucapione valere, de hoc quidem queri posset, si illud *solis falsis decretalibus* inniteretur : si insuper nulla legitima potestate, nulla caussa interveniente, introductum fuisset : at *solis falsis decretalibus*, imo his omnino non innititur. Ibi cap. 2, 3 et 4 in not. illud introductum fuit potestate summa Rom. Pontificis, quæ in divino ejus primatu residet : usu, praxi et observantia Ecclesiæ roboratum et sacratum est : caussas vero retuli c. 3, § 9 et alibi quod si falsæ decretales omnino non existerent, nihilominus potestas legislativa Rom. Pontificis, de qua hìc agitur, invicte demonstraretur.

Ad 4. Neque Febronii est Ecclesiam potestate

legislativa spoliare, atque primatum Petri a Christo institutum destruere, aut ad nihilum redigere. In doctrina fidei et morum nihil mutatum est, neque mutari potest. Disciplina vero non est immutabilis, quæ ab apostolorum tempore per secula semper aliquam mutationem subiit; attamen in legibus fundamentalibus a Christo et apostolis institutis aliquid immutatum esse, hactenus nondum probare potuit Febronius.

Potestas Pontificum per Isidori decretales aucta non fuit, sed eo tempore, exigentibus circumstantiis, se tantum magis explicavit, uti jam demonstravi, et ipsæ decretales inscriptione nominis falsæ, re tamen ut plurimum veræ disciplinam hanc non novam, sed jam quarti et quinti seculi fuisse testantur.

Sales et irrisiones illius e Gallia jurisconsulti non attendimus, argumenta petimus. Nec nobis hoc loco in pretio est Gerson, qui sibi non constat. Jam alibi eum contra Febronium citavimus, et aperte asserit regimen Ecclesiæ monarchicum; dein lib. de vit. spirit. animæ lect. 3, ait : *habet itaque Papa Dominium superioritatis a Christo supra totam Ecclesiam cum plenitudine potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesiæ proprie dictum respiciunt.* Hæc dum sane scripsit. Quando autem contra auctoritatem Papæ scripsit oppido de schismate saltem suspectus est. Franciscus Victoria Dominici Soto et Melchioris Cani professor in academia Salmanticensi tract. de auctor. Papæ

et concil. num. 5, ait : *ille doctor Gersonius, qui concilia conatus est anteponere, per omnia fuit infensissimus auctoritati sum. Pontificum, et multos alios infecit suo veneno. Parum enim differt a schismate ejus sententia de auctoritate Papæ.* Didacus Payva ait : *neque Joannis Gersonis, viri alioqui multis nominibus clarissimi, temeritatem approbare S. synodus potuit, qui ut conciliorum nomen factiose potius, quam pie et sapienter amplificaret, ita Rom. Pontificem depressit, ut ejus a conciliis jurisdictionem minui et extenuari, summamque potestatem certis quibusdam legibus circumscribi, et quasi decurtari posse judicaret. Quod quidem non est dispensandi licentiam reprimere, ut existimavit, sed sementem schismati facere.* Thomassinus dissert. 15, in concil. Rom. n. 24, *exasperatum fuisse tum aliorum, tum maxime Gersonis animum, calamumque absurditate suorum temporum, et dubiorum Pontificum, schismatisque pertinacis importunitate, atque ideo plurimum degenerare illum a clementia et reverentia.* Hæc jam notari merentur pro eo, quod capite sequenti de concilio Constantiensi dicemus, ex quibus patet, quisnam apud graves auctores fuerit sensus de concilio Constantiensi, atque de Gersonis, modo etiam Febronii, aliorumque sententia. Porro P. Desirant dissert. 2, multa insuper auctoritatem Gersonis deprimentia et evacuantia enarrat, et præcipue Parisiensem universitatem revocasse, et cassasse omnia, quæ illius nomine

ab anno 1413, usque ad 1418 commissa, declarata et gesta fuerant. Ipse denique Edmundus Richerius professus est, Gersonem apologia indigere in iis, quæ contra auctoritatem Papæ scripsit : hæc pro responsione ad Gersonis criminationes et dicteria sufficiant.

Ad 5. Non solum hìc, sed et tom. II, *in suo Theodoro a Palude* c. 5, § 9 et alibi Febronius Bullam Cœnæ glorianter in triumphum ducit, atque ejus fata enarrat. Verum ab illa resistentia principum, vel non receptione, carentia potestatis legislativæ in summo Pontifice, de qua hìc agitur, neutiquam probatur, dum illi ipsi principes eam in Papa recognoscunt ac venerantur. Quippe hi solum querebantur, illam Bullam quædam continere, quæ materiam et objectum jurisdictionis ecclesiasticæ excedunt, atque ad jura magistratus secularis pertinent. Ex eo igitur, quod Papa non habeat jurisdictionem in temporalia principum, tam parum concludes, eum nec habere talem in spiritualia atque ecclesiastica : sicuti ex eo, quod principes non habeant potestatem in spiritualia et regimen Ecclesiæ, neutiquam iis potestatem in temporalia denegabis.

Quanquam autem bulla Cœnæ huic ævo non amplius congruere visa sit, considerandum tamen foret, quo fine, qua caussa, quo tempore, qua occasione nata sit : ad hoc fors lucem Febronio tulisset Barthelius dissert. gener. de concord. c. 1, sect. 3, atque hìc maxime verum erit illud

S. Gelasii I P. epist. 167 ad Austic. *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari.* Attamen de hoc tibi nihil molestus ero, dum ipsa Bulla auctoritate summæ sedis non amplius urgetur. Unicum hoc ex Febronio adhuc quæro: ipse ad antiquos Ecclesiæ canones ubivis provocat, horum tutores ac vindices vocat Rom. Pontifices; multa autem in bulla Cœnæ continentur, præcipue circa immunitatem ecclesiasticam, quæ genuinis et antiquissimis et jam generalium conciliorum canonibus, ab Ecclesia receptis innituntur: hos canones non ignorat Febronius; de his igitur quid respondebit? qualecunque sit responsum, suo systemati aliqua in parte adversabitur.

Quoad Gallos dico, neutrum sequi. Bulla Cœnæ nullum effectum sortita est, non *propter simplicem non receptionem*, sed quia obtendebantur privilegia et jura regni, quæ per Bullam læsi querebantur Galli, et quibus specialiter derogare non præsumitur Pontifex; inde non obligatio Bullæ potius in fundata præsumptione et intentione legislatoris reponi ac quæri debet. Attamen, uti jam dixi, nullum datur privilegium commune omnibus resistendi vel non recipiendi leges communes, quanquam illud prius etiam locum habet, quando Bullæ publicatio et observantia sine perturbatione status publici fieri non possit, uti de Germania et Bohemia dicendum fuit. Sic etiam ad instantiam

maxime Gallorum, Bonifacii VIII constitutio *unam sanctam* per aliam *meruit de privilegiis* extravag. commun. c. 2 a Clemente V; item altera *clericos laicos infestos* a Benedicto XI, per aliam c. un. de immunit. Eccles. extravag. commun. temperata fuit. Habet quoque hic locum illud D. Bernardi epist. 180. *Apostolica sedes hoc solum habet praecipuum, ut non pigeat revocare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum.* In his igitur non asperitatem dominatus secularis, sed spiritum indulgentis piae Matris deprehendis; verum ad carentiam potestatis et auctoritatis male concludes. Pariter haec via ad sustentandam concordiam sacerdotium inter et imperium planior atque convenientior est, quam audax illa, despectu et seditione plena resistentia, quam suadet Febronius.

Ad 6. Nunquid ex eo, quod *regulae cancellariae* non omnes et ubique obligent, demonstratur defectus potestatis legislativae in Pontifice? ridiculum sane hoc est. Quis unquam dixit, regulas cancellariae universales Ecclesiae leges esse? leges locales sunt pro norma et ordine cancellariae dirigendae statutae, ut bene ait Barthelius annot. in procem. P. Engel pag. mihi 34, quemadmodum etiam in supremis imperii Dicasteriis, Camera scilicet Wezlariensi et consilio imperiali aulico Viennensi certa habentur statuta, legesque quasi pragmaticae judiciorum normam spectantes. Itaque in curia Romana faciunt jus locale, et

officialibus in ea agentibus secundum illas tam in forma judicii, quam in decidendis caussis procedendum est; exspirant autem hæ regulæ una cum Pontifice, quod de legibus universalibus dici nequit. Ne igitur mireris, istas regulas non obligare extra curiam, ubi concordata, pacta exstant, vel non sunt receptæ.

Ad 7. Haud fideliter incedit Febronius, dum dicit, declarationes Tridentini *non a viris e provinciis evocatis confici*, uti *Tridentinum voluit.* Non est hic unicus modus, quem in declarando voluit Tridentinum, sed sess. 25 sic habet: *confidit S. synodus, beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro gloria Dei et Ecclesiæ tranquillitate consulatur.* En! non illum primum tantum, sed tres omnino modos proponit Tridentinum. Dein, neque unum, neque alterum *præscribit* concilium, sed omnia in sensu et beneplacito Pontificis reponit. *Confidit*, inquit, *S. synodus*, item *commodiore quacunque ei ratione visum fuerit.* Nunquid hoc est arripere ansam, quacunque via accusandi et criminandi Pontifices, etiam ubi nulla caussa substitit, et imponere ignaris?

At illi judices congregationis sunt opinionibus

curiæ romanæ præoccupati : ideo D. Barthel etiam cum Febronio pro Germania optat, tales causas a judicibus in provincia delegatis decidi, prout postulant Galli, Belgæque.

Verum notent hi viri *imprimis*, an non idem, quod modo Romanis, judicibus in partibus possit objici, nempe eos opinionibus suæ patriæ aut regni præoccupatos esse, et secundum has judicare ? 2. Sic difformitas et confusio orietur, in diversis provinciis et regnis diversæ declarationes prodibunt, et idem decretum concilii, pro diversitate nationum et judicum, varium sensum recipiet. Num hoc conforme est spiritui unitatis Ecclesiæ, et sola hæc ratio an non est sufficiens, quare Pontifex hunc declarandi modum non adoptaverit ? 3. Declaratio et interpretatio authentica concilii Tridentini, vel alterius legis conciliaris aut concilii generalis non ad privatos judices et episcopos, sed ad summum legislatorem et Rom. Pontificem pertinet ; hinc ne quidem declaratio congregationis concilii fieri debet, nisi sub clausula, *consulto prius Pontifice*, et ipsum concilium non ait, *caussam viris in provinciis committendam esse*, sed *evocatis ex provinciis*, nempe Romam pro pleniori informatione ac discussione.

At inquit Febronius : hæc congregatio quandoque excedit, et novam legem facit. Respondeo, quid facerent Galli, aliique circa sensum alicujus decreti, si ex principiis Febronii ne qui-

dem ipsum decretum aut concilium admittere debent, nisi quantum ipsis libuerit? nunquid facile et pro libitu decidere possent? hæc ad gustum et mentem Febronii. De cætero nulla declaratio vel interpretatio congregationis concilii sit, *nisi consulto et approbante Pontifice;* est autem hic legitimus interpres legum universalium Ecclesiæ, ita ut, exigente necessitate, in iis etiam dispensare valeat, quod veteri Ecclesiæ stylo *temperare canones* dictum fuit, et ipsum concilium Tridentinum vult, *Papam provinciarum necessitatibus quacunque commodiore ratione consulere.* Quando igitur lex ob certas et speciales circumstantias, casusque de novo emergentes, fiat nimis dura, difficilis, vel noxia, utique epikeia vel interpretatio ultra sensum generalem legis, vel dispensatio locum habet. Hoc autem non est, novam legem condere, quia hæc interpretatio ultra circumstantias et casus expressos se non extendit.

Ad 8. Si Dacherio fides habenda, Guilielmus Major bene scripsit, optandum esse, ut principalia quatuor concilia et decreta summorum Pontificum ex integro servarentur. At male infrunito et petulanti calamo recentiores canones vocat siliquas porcorum et panes furfureos, et tamen Febronius hac phraseologia delectatur. Inter recentiores canones post illa quatuor concilia generalia sunt etiam canones conciliorum generalium, item Constantiensis, Florentini, Tridentini etc.

An hos etiam vocare audebit *siliquas porcorum*? Attamen neque ex his pro sua opinione quidquam proficit Febronius. Major vult, *decreta Rom. Pontificum antiquorum ad reformationem Ecclesiæ et informationem vitæ humanæ* æque observari, ac quatuor illa concilia : ergo vim legis habent. Non autem hodie, quam olim minor potestas est Pontificis atque conciliorum.

Ad 9. *Decisiones Rotæ* non faciunt novum jus, quia auditores Rotæ non sunt legislatores, sed judices. At plures decisiones conformes super eodem juris puncto faciunt stylum curiæ? quid in hoc mali? omnes curiæ bene ordinatæ certum stylum habent, seu frequentiores uniformes decisiones super eodem juris articulo modum dant conformiter agendi in judicio, ut conformiter decidant. Num ideirco iis Dicasteriis abstinendum erit? si Itali, Galli, Germani, aliique proprium, et suæ nationi, vel potius suis rationibus politicis, semper variabilibus, stylum accommodum postulent, quid tandem fiet? qualis confusio rerum in tota Ecclesia? ubi privilegia, pacta, concordata vigent apud aliquam nationem, sufficiet utique *exceptio partis*. Quid amplius quereris? num omnia confundi debent?

Male sonat epiphonema Febronii. An sola Roma utitur *jure falso*? an solis Isidori decretalibus innititur? an in Isidori decretalibus contenta omnia nullo alio fundamento et vetustate nituntur? hæc cantilena non nisi in hac re parum erudi-

tis præcinitur, et quasi jam pro certo supponitur. Dein, num illud *verum jus* est, et *lex universalis Ecclesiæ* dici potest, quod quævis Ecclesia particularis pro libitu recipere, abjicere, modificare, restringere potest? de his respondendum erit adversario. Prudentiores suadent reverentiam, obedientiam et submissionem legitimis superioribus legibusque præstandam, atque omnis schismatis in Ecclesia adversionem : qui contemptum et resistentiam suadent, schismata seminant, nec inter prudentes nominări merentur.

Febronius, ut suæ opinioni, qua Papæ omnem potestatem legislativam denegat, auctoritatem magis conciliet, appendic. 1, fol. 786, etiam Barthelium in auxilium vocat, dum ait, quod leges ecclesiasticæ non minus ac civiles et politicæ sint secundum naturam, secundum patriæ consuetudines, loco, tempori convenientes, atque in verum utriusque potestatis, ecclesiasticæ et politicæ bonum tendant. Item ex receptis decretalistarum principiis prorupisse excessivas beneficiorum reservationes, exspectativas, comendas, uniones, taxas pecuniarias, spolia, annatas, pensiones : decisiones Rotæ sententiis doctorum curiæ innixas nationibus merito suspectas esse, quia concordata in favorem curiæ interpretantur.

At non semel dixi, Barthelium cum systemate Febronii nihil commune habere. Quippe Febronius ait, Rom. Pontificem non posse *condere* leges pro tota Ecclesia, sed tantum *proponere*,

Barthel annot. ad lib. 1, tit. 2, de constitut. ait: *igitur summus Pontifex in materia spirituali pro tota Ecclesia potest ferre leges, quia illimitatam a Christo accepit potestatem pascendi, solvendi et ligandi etc., quæ ipsi tam in- quam extra concilia competit, alioquin male provisum esset Ecclesiæ, cum concilia non semper convocari possint.*

Febronius ait, leges ecclesiasticas vim et effectum legis obtinere ab acceptatione, nec obligare, si non sint receptæ; in cujus exemplum adfert Tridentinum, et quod multæ leges Pontificiæ non obligent, *quia non sunt receptæ*. Sed D. Barthel cod. tit. Febronio respondet, *acceptionem de non recepto opponi, non quasi receptio esset ratio a priori, daretque legi vim obligandi, aut sine ea legislator mancam haberet auctoritatem, sed quia receptio a posteriori, et ex consequenti se habet ad legitimas legis conditiones, ex quarum defectu lex nec usu recipitur, nec vigorem acquirit.* Hæc sola Barthelii responsio omnia Febronii argumenta solvit, quæ tribus hisce paragraphis contra potestatem legislativam Pontificis corrasit, et Febronio omnino adversatur.

Quod autem lex ecclesiastica circa disciplinam *exteriorem duntaxat, et versatilem politicam occupata*, de qua hic solum loquitur Barthelius, debeat patriæ, loco, temporique convenire, nemo negat: et si non conveniat, suadet Barthelius recursum

ad Pontificem, citans in hunc finem S. Bernardum epist. 108 et Ivonem Carnotensem epist. 159 : *qui se ab Ecclesia Romana gravatos conqueruntur, scilicet, ut ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde exspectent levamen, unde se accepisse conqueruntur gravamen.* Monet insuper alibi salvam in omnibus et per omnia Pontificiæ auctoritatis reverentiam esse debere. Hæc autem longissime absunt a frivola et seditiosa resistentia Febronii, atque a denegatione omnis jurisdictionis et potestatis legislatoriæ in Rom. Pontifice.

Ulterius reservationes, exspectativas etc., utique taxat Barthelius, sed *excessivas.* Potestatem reservandi non denegat, sicut Febronius, sed de abusibus conqueritur. Dissert. prælim. de concord. German. c. 2, sect. 6, n. 12, ait : *neque ambigo, quin Papa jure possit ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi et apostolicæ sedi reservare, tum ex jure supremæ et universalis directionis, tum accedente speciali et publica caussa ratione materiæ subjectæ : puta si inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in suis collationibus plurimum abuterentur, et per potestatem laicalem sæpe jure suo libere uti non permitterentur, seu alia ex aliqua publica et manifesta ratione. Sed de potestatis usu sermo est, qui non semper unus et idem fuit, in eo quandoque circa materiam politiæ et disciplinæ exterioris abusus irrepere posse, et irrepsisse seu hominum vitio,*

seu temperari, constat, et diffitetur nemo. Ea ita loquutus celeberrimus Germaniæ canonista potestatem ab usu, et usum ab abusu secernit, potestatem et usum concedit, abusum solummodo perstringit: hunc autem nec qui Romani, præcipue summi Pontifices dilitentur, multo minus approbant, uti constat de illa selecta a Paulo III prælatis, de Hadriano VI P. in instructione Cheregato legato data, item de Clemente V in Bulla tertio sui Pontificatus anno edita apud Raynald anno 1307, n. 28.

De decretalibus Rotæ, et informato inde *stylo curiæ* in ordine ad concordata Germaniæ ait utique Barthelus, unilateralem ejus interpretationem, quæ in favorem curiæ fiat, per se firmam non esse. Sed qua ratione ducatur? nempe ea, quia sustinet, concordata vera pacta esse, quæ interpretationem ab utraque parte contrahentium sumere debent. Verum de hoc inter doctores controvertitur, et permulti non tantum Itali, sed et Germani docent, concordata ex parte Rom. Pontificis privilegium, adeoque contractum claudicantem esse. At, rebus perpensis, ex argumentis in contrarium, quæ etiam Barthel adducit, haud plus evinci videtur, quam concordata Germaniæ etiam ex parte Pontificis non *parum privilegium*, sed *privilegium conventionale* esse, non quod verius dicendum, esse *pacta* non circa *potestatem* Pontificis, quam ipse abdicere non potest, quod ipse Barthelus supra agnoscit, sed

circa *usum potestatis*, nempe quod Papa sine necessitate aut majori utilitate Ecclesiæ ea uti nolit. In dubio igitur, utrum casus particularis in concordatis comprehendatur, interpretatio etiam ab utraque parte adhuc in cujus favorem facienda foret, inter variantes doctorum sententias hic nolumus decidere, præsertim cum casus et facta particularium per se non faciant jus.

§ IV.

Ampla quidem auctoritas, non tamen jurisdictio proprie talis Rom. Pontifici in omnes ecclesias competit.

Argumentis, quæ in hanc rem ex Tridentino, Florentino et aliis conciliis pro Papa petuntur, satisfit.

Argumenta pro generali legislatoria et judiciaria Romani Pontificis potestate in universam Ecclesiam allegari solita studiose præ cæteris collegit Tournelius; at dilucide videbitur, ea, si ad fidem actorum, præcipue conciliarium reducantur, talia esse, quæ *directivam auctoritatem* cum primatu necessario connexam, et jura inde proxime defluentia, de quibus c. 2, quidem significent, ad probandam vero universalem *propriam jurisdictionem* nullatenus sufficiant. Graviora hic ponderantur, de reliquis facile erit minus præoccupatorum et prudentum judicium.

1. Tournelius ait, hoc thema melius dignosci non posse, quam ex *antiqua et constanti* Ecclesiæ *traditione*, quæ probatur ex conciliis, Patribus et gestis summ. Pontificum, qui, approbante Ecclesia universali, hac jurisdictione usi sunt. Jam de applicatione hujus regulæ judicandum.

Fatentur, ait Tournelius, Patres *concilii Ephesini* anno 431, se per canones et per epistolam Cœlestini P. ad pronuntiandam in Nestorium damnationis sententiam compulsos fuisse. *In concilio Chalcedonensi* Paschasinus legatus Rom. Pontificis dixit, se præcepta apostolici viri Papæ urbis Romæ habere, ut Dioscorus non sedeat in concilio: *hoc nos observare necesse est.* Act. 3, aiunt patres: *sanctissimus et beatissimus archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo per nos et præsentem sanctam synodum — — nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Act. 5, legati minantur, si rata non habeatur Leonis definitio, congregandam Romæ synodum, ad quam rebelles mittendi forent. Denique Patres concilii flagitant a Leone confirmationem eorum, quæ in concilio statuta sunt.

In concilio Lateranensi sub Martino I. Stephanus Dorensis Græcus libellum obtulit act. 1, ubi dicit, hæreticos semper auctoritate summæ sedis damnatos fuisse. Refertur quoque in eadem synodo epistola concilii Africani ad Theodorum P., ibi dicitur: *antiquis regulis sancitum esse, ut*

quidquid, quamvis in remotis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis fuisset deductum, ut hujus auctoritate, justa, quæ fuisset, pronuntiatio firmaretur etc.

Concilium Florentinum quæstionem inter Græcos et Latinos diu ventilatam his determinavit verbis : *definimus sanctam apostolicam sedem et Rom. Pontificem successorem esse B. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.*

Concilium Tridentinum sess. 14, de pœnitent. c. 7, declarat, *merito Pontifices maximos, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, causas aliquas criminum graviores suo posse peculiari judicio reservare.* Hæc omnia potius *jurisdictionem propriam*, quam *nudum primatus honorem et directoris officium* indicare videntur.

2. Verum hæc nihil contra Febronium proficiunt : quæ ante concilium Ephesinum quomodocunque gesta sunt, non debent reputari pro fructu seu effectu propriæ jurisdictionis in alios episcopos, et quæ scripsit Cœlestinus P. ad Cyrillum Alexand. et ipsam synodum, debent in-

terpretationem accipere ex iis, quæ c. 3, § 4, de modo communicandi ecclesiarum inter se, speciatim rom. episcopi cum Alexandrino, et per hunc cum Ægyptiis dicta sunt. Negata igitur Nestorio reliquorum episcoporum communione, per se fluebat, ejus cathedræ de alio Antistite providendum esse, mediante Alexandrino. Excommunicatio et damnatio in virum heterodoxum pertinebat ad jus omnium episcoporum orthodoxorum, et Cyrillus jam antea in Alexandrina sua synodo Nestorii doctrinam damnavit; imo ipse Nestorius alienos a sua opinione episcopos excommunicavit, attamen sine jurisdictionis specie vel obtentu. Vera jurisdictione in Nestorium jure suo usa est synodus Ephesina. Interim Cœlestinus jure sui primatus usus in Nestorium insurrexit, tum eum a communione excludendo, tum episcopos excitando, ut ei se opponerent, et nisi brevi resipisceret, a sua sede moverent. Nemo mediocriter eruditus asseruerit, eo ævo jus deponendi episcopos Rom. Pontifici competiisse, aut ab eo exercitum fuisse. Vid. c. 4, § 11, n. 2.

3. *In concilio Chalcedonensi* multa occurrunt, quæ *prætaxantem* aliquam in Rom. Pontifice, tanquam primate, auctoritatem et jus præsidii comprobant, sed non propriam jurisdictionem in reliquos episcopos. Leo Pontifex præparatorie ordinaverat, ut Dioscorus non sedeat in concilio: commissarii Imperatoris dixerunt, *quid enim specialiter objicitur Dioscoro reverendissimo episcopo?*

tandem post plures altercationes gloriosissimi judices dixerunt, ut Dioscorus in medio sederet, reo, quam judici magis similis. Non a solo Rom. Pontifice, sed a tota synodo Dioscorum depositum fuisse, gesta act. 3 manifeste probant. Cum Dioscorus tertio vocatus in concilio non apparuit, Paschasinus legatus petiit : *quo igitur dignus est ita contemnens ?* synodus dixit : *indignatione, quæ contra inobedientes a sanctis regulis constituta est.* Similiter Stephanus Ephesinus et alii episcopi dixerunt, depositionem Dioscori sine nova dilatione postulantes. Ex decreto igitur synodi procedentes vicarii apostolici, manifesta esse Dioscori commissa adversus sanctarum regularum ordinem et ecclesiasticam disciplinam, atque in sententiam depositionis præiverunt. Postea autem iisdem dixêre : *igitur sancta hæc et magna synodus quæ placent regulis, decernat super memorato Dioscoro.* Episcopi unanimi consensu sententiam in Dioscorum conceptam probarunt, ejus præsertim contumaciam allegantes. Evidens est, quod episcopi supponerent, eum a synodo, non a solo Leone damnatum : imo ne Leonis quidem mentionem faciebant in suis suffragiis, et sententia Dioscoro insinuata, atque Constantinopoli publicata fuit nomine concilii. Quoad fidei definitionem et depositionem Dioscori, Patres nullam petunt confirmationem a Papa, satis esse rati, *eum ut caput membris præsidentem, spiritu præsentem, ac pene in legatis visum.* Attamen Pontifex auc-

toritatis suæ commendandæ multum studiosus *non petitam* concilii confirmationem impertitus est, et Agapitus Rhodiorum episcopus ait, pene omnes occidentales episcopos concilii Chalcedonensis statuta confirmasse et consignasse. Nempe stylo ecclesiastico confirmantur decreta non modo *ab æqualibus*, sed passim etiam ab *inferioribus*, et a conciliis particularibus decreta summorum Pontificum confirmata leguntur. Ita Bossuet defens. declar. Gall. part. 2, l. 13, c. 2.

4. Quæ in concilio Lateranensi dicta et gesta sunt, ad universalem primatum pertinent, sed *jurisdictionem* non involvunt, verum unice *ad fidei tutelam*, quæ omnes episcopos peræque tangit, et ad excommunicationis indolem, quæ sine jurisdictione esse potest, pertinent. Si pertinacius sit malum, ad universale concilium, tanquam ultimatum judicium, revertendum est. Præterea, in rebus summi momenti nihil *sine primatus accessu*, et quantum fieri potest, *assensu*, statuendum esse, fixum manet.

5. *Ex concilio Florentino* Abrahamus Cretensis Romæ perperam ex Græco vertit : *quemadmodum etiam in actis conciliorum œcumenicorum, et in sacris canonibus continetur*. E contra, Flavius Blondus Eugenii P. IV. Scriba sic vertit : *quemadmodum et in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur*. Expressionem Blondi probant Marcus Vigerius cardinalis, Joannes Eckius, Joann. Roffensis, Albertus Pighius,

et aperte firmat textus græcus. Repetita autem particula *et, et*, καὶ, καὶ, regendæ Ecclesiæ rationem definit, ac aliam quamlibet propositam excludit. Id adhuc luculentius patet ex mutuis Græcorum et Latinorum concertationibus prævis, post quas in duo finaliter puncta conventum fuit: primo, ut in asserendo Rom. Pontificis primatu de *dictis Sanctorum*, uti volebant Romani, nulla fiat mentio. Secundo, ut Rom. Pontificis primatus retineatur, talis, qualis in *actis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus* assertus reperiatur. Intelliguntur autem septem priora concilia, et Florentinum *octavum* se inscribit. Interim adhuc tria notanda sunt. 1. Agnoscente ipso Bellarmino l. 2, de concil. c. 13, concilium Florentinum non ita expresse hæc definivit. 2. Patres Tridentini nullatenus crediderunt, capitalem illam quæstionem, in eodem concilio tam fervide agitatam, in Florentino in favorem Papæ fuisse decisam. 3. Quod in eadem Tridentina synodo a Gallis negatum fuerit, Florentino concilio inter generalia concilia locum dandum esse, quippe ex quibusdam Italis, et quatuor solum Græcis Patribus compositum. *Florentinum sola Gallia pro œcumenica nunquam habuit.* Inquit Didacus Payva in defens. Trident. l. 1, pag. 179, Launoi. t. III, p. 2, p. 447.

6. *Concilium Tridentinum* de hac quæstione studiose nihil definivit, nec in hac parte superiorum conciliorum canonibus quidpiam super-

addit. Quæ autem sess. 14. de pœnit. cap. 7, declarat, ea generaliora sunt, nec exprimit, a quo, quibus gradibus, et quoad quas partes suprema hæc potestas Rom. Pontifici tradita sit : nec impedit, quominus credamus, illam reservandi potestatem illi ab Ecclesia, seu concilio supremo permissam esse, ea ratione, qua illi concessa fuit facultas dispensandi in quibusdam constitutionibus conciliorum, de quo infra cap. 5, § 5, cap. 7, § 6, cap. 6, § 1.

7. Ex his lectori facile erit satisfacere reliquis objectionibus ab auctoritate *Patrum, Pontificum* et *Imperatorum* petitis. Interim, usus universalis primatus utique multis ansam dedit credendi et scribendi, Pontificibus propriam per totam Ecclesiam jurisdictionem competere. Sed hæc nihil possunt adversus institutum Christi et veram Ecclesiæ œconomiam. Græci in Florentina synodo non admittebant in hac re *dicta Patrum sanctorum*, et Imperator dixit : an *si quis sanctorum in epistola honoret Papam, excipiet hoc pro privilegio ?*

8. In formula professionis fidei a Pio IV, PP. præscripta, et orbis catholici reverentia consecrata dicitur : *agnosco sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram, Romanoque Pontifici B. Petri apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.* Verba *sanctæ, catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ*

interpretationem accipiunt ex cap. 1, § 9, n. 1; de qualitate *Matris* et *Magistræ* cap. 3, § 6, quoad *obedientiam*, ea non semper supponit, aut involvit jurisdictionem ex opposito, uti patet in patre, hero, magistro etc. Robertus episcopus Licolniensis ait: *mandatis apostolicis affectione filiali devote et reverenter obedio.* Et D. Bernardus lib. 3, de consid. cap. 1. *villa villico, et parvus Dominus subjectus est pædagogo, nec tamen villæ ille, nec is sui Domini Dominus est.* Quantumcunque autem obedientia accipiatur, non poterit male verti episcopis et aliis clericis, si eam intelligant, et jurent conformiter ad tenorem canonis Florentini, nempe, *juxta eum modum, qui in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur.* Teste Alexandro Natali, archiepiscopus olim in receptione Pallii Rom. Pontifici obedientiam aliter non promisit, quam secundum canones.

9. Editores Muriani tom. IV, pag. 251, de S. Gregorio M. tradunt, eum sacram jurisdictionem per universam Ecclesiam exercuisse in Africa, Ægypto, Asia, et ipsis Constantinopolitani Patriarchatus finibus: 1. In caussa monachorum Isauriæ. 2. In caussa Petri episcopi Africani, Columbo in Numidia ad judicandum committenda. 3. Ursicini Taurini episcopi Sygagrio Augustodunensi, et 4. Januarii Malacitani, alteriusque præsulis Joanni defensori delegando. 5. Paulum in Africa episcopum a Gennadio Patricio accusatum,

cum idonei accusatores Romæ coram Papa non comparerent, remittendo. 6. Joannis episcopi Illyrici primatis ordinationem, petentibus provinciæ episcopis, confirmando, eundemque Pallio donando. Verum, re accuratius inspecta, disparebit omnis idea jurisdictionis proprie dictæ, ex his factis apparenter resultans.

Ad 1. Hortatur et suadet Gregorius Joanni patriarchæ Constantinop., ut monachos a se male habitos in suis ordinibus recipiat, et pacem eis præbeat. Hoc autem potuit, et debuit Papa vi primatialis officii hortari patriarcham, qui muneri suo et observantiæ canonum deesse videbatur.

Ad 2. Nihil amplius pro jurisdictione Rom. Pontificis in hoc recursu habetur, quam in illo SS. Athanasii, Chrysostomi etc. etc. imo minus, de quo infra § 9.

Ad 3. Minus apparet quidquam, quod arctissimos primatis, pro bono et pace Ecclesiæ, ut decet, solliciti fines transgrediatur.

Ad 4. Habuit caussa Januarii aliquid speciale, quod in additamento Gregorianæ epistolæ, de qua agitur, sic exprimitur : *contra hæc si dictum fuerit, quia nec metropolitam habuit, nec patriarcham, dicendum est, quia a sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, caussa hæc audienda ac dirimenda fuerat, sicut et prædictus episcopus petiisse dignoscitur, qui episcopos alieni concilii habuit omnino suspectos.*

Ad 5. Quis inde inferet adversum ea, quæ cap. 4, § 8 et 11, evidenter demonstramus, ad jura et jurisdictionem Rom. Pontificis tum pertinuisse, episcoporum caussas Romam promiscue evocare, ibidemque agere et definire?

Ad 6. Notum est, Rom. Pontifices in nullam regionem exteram sibi tantum auctoritatis tribuisse, ac in Illyricum. Non mirum ergo, si nonnulla ibidem exstent Romanæ potestatis exempla, quæ alibi frustra quæsieris. Porro ex confirmatione Joannis Episcopi deducat, quisquis volet, eo jam ævo jam in more fuisse, electionum et ordinationum episcopalium confirmationem a Papa petere. Vid. cap. 4, § 3 et 4. Ex his intelligitur, veris his momentis falsa Isidori quodammodo fulciri, et aliqua similitudinis specie sustineri potuisse, et simul quomodo aliis ejusmodi antiquis exemplis congrua interpretatione succurri valeat.

NOTA.

Ad 1. Cogimur eadem sæpius repetere, quia Febronius, falsis præjudiciis præoccupatus, antiquam continuo crambem recoquit. Attamen sufficere possent, quæ circa concilium Ephesinum in hac caussa diximus supra c. 2, § 9 in not. ubi vera et proprie dicta jurisdictio Cœlestini Papæ in Nestorium dilucide demonstratur. Num ludit Febronius, dum ait, quæ ante concilium a Cœ-

lestino gesta sunt, debent intelligi, et interpretationem accipere ex c. 3, § de modo communicandi ecclesiarum inter se? de hoc illi cit. loc. in nota jam respondi. An autem, quæ Cœlestinus ad Cyrillum et ipsam synodum scripsit, de sola negatione communionis intelligi possunt? ipsi Patres Ephesini aperte ipsum falsi convincent. Hi utique Nestorium *propriæ* excommunicationis sententia condemnarunt, uti ipse fatetur Febronius his verbis: *talem excommunicationis et damnationis censuram in virum heterodoxum, ejusque scripta ferre pertinebat ad jus omnium orthodoxorum episcoporum.* Item *hac vera superioritate jure suo in Nestorium usa est Ephesina synodus, juridicam depositionis sententiam in eum ferendo.* At Patres Ephesini non aliam in Nestorium sententiam protulerunt, quam quæ prius a Cœlestino in eum jam fuerat pronuntiata, imo non tam proferebant, quam se solum exsequi dicebant: *apostolica et sancta sedes Cœlestini SSmi episcopi*, ait Firmus Cæsareæ in Cappadocia episcopus, *per litteras*, — — *etiam ante de præsenti negotio sententiam, regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti* — — *formam illam NB. executioni mandavimus, NB. canonicum, apostolicumque judicium in illum proferentes*, act. 3. Patres in Nestorium sententiam laturi dicunt: *coacti per S. canones et epistolam SSmi Patris nostri et comministri Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus.* In hunc lo-

cum Nicolaus I, ait : *S. synodus ad Ephesum congregata S. memoriæ Cœlestini Papæ prius epistolam legit, —— ut ejus potissimum specialis judicii tenore sit perfidus Nestorius expulsus, dum eadem synodus in sententia contra eum prolata, tali modo prosequitur : necessario coacti etc.* Idem Patres Ephesini in epist. ad Imp. Theodosium et Valentin. aiunt : *Nestorium a sacerdotio et pestilente doctrina cessare jussimus, canonicam in eum sententiam proferentes, et collaudantes SSmum episcopum magnæ Romæ Cœlestinum, qui ante nos sententiam in ipsum tulit.* En! ni studio cæcus esse velit, quæ antea Cœlestinus gessit, scripsitque contra Nestorium, non meram negationem communionis, sed *sententiam, judicium* vocant Patres, quam ipsi sequuntur, et executioni mandant : igitur de *propria* dicta et vera excommunicatione intelligi debent. Confer. c. 2, § 9 in not. et præclusum videbis omne adversarii effugium.

Quod S. Cyrillum attinet, hic utique jam prius Nestorii doctrinam damnaverat, attamen personam Nestorii, cæteri et sibi æqualis patriarchæ, ausus non fuit excommunicare, imo ne quidem palam ei communionem negare. *Non prius autem*, scribit Cyrillus epistola ad Cœlestinum P., *illius*, Nestorii, *communionem palam, aperteque deserimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias, præscribere, quo liquido nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere ei denuntiare, neminem cum eo*

communicare. Cyrillus ergo cum sua Alexandrina synodo Nestorii quidem doctrinam damnavit, sed in ejus personam nulla jurisdictione potiebatur; quare rem ad Cœlestinum detulit : hic Nestorio diem dixit, hic sententiam depositionis et excommunicationis præscripsit, hic eam Cyrillo exequendam commisit his verbis : *auctoritate igitur tecum nostræ sedis adscita, vice nostra usus, hanc exequeris districto rigore sententiam etc.* Quid Cyrillo opus fuisset aliena vice et jurisdictione, si ista nulla fuisset? et quid usus aliena Romanæ sedis auctoritate, si propria id potuisset? imo nec totum concilium Ephesinum existimavit, depositionem et excommunicationem Nestorii in sua solum positam esse potestate, uti Febronius ait, hoc ad jus omnium orthodoxorum episcoporum pertinuisse; quippe lecta Cœlestini sententia, non tantum non protestati sunt Patres, sibi judicium fuisse præreptum, jurisdictionem prævertam vel impeditam, sed magno plausu clamarunt : *hoc judicium justum est,* atque Cœlestini sententiam *regulam sibi præscriptam* vocant, quam *sequerentur*, et *executioni* mandarent. Cæcutiat profecto ambobus oculis, qui in his Rom. Pontificis jurisdictionem non videat.

Frustra Febronius ait : *negata Nestorio reliquorum episcoporum communione, per se fluebat, ejus cathedræ de alio Antistite providendum fuisse.* Hîc, uti palpas, jam non de negatione communionis, sed de proprie dicta *sententia, excommunicatione,*

depositione sermo est, atque Cœlestinus non exspectata reliquorum episcoporum negatione communionis, nec concilii mox congregandi sententia, nec requisita Patrum approbatione aut consensu, sed propria sua et absoluta auctoritate fretus sententiam tulit, publicavitque. *Eadem*, ait, epist. ad Cyrill., *scripsimus ad sanctissimos fratres* — — *ut nota sit de eo nostra, imo Christi divina sententia.* Quin Pontifex nequaquam prius negationem communionis, sed depositionem a sede, et postea excommunicationem ordinavit : *nisi hoc fecerit, mox Sanctitas tua illi Ecclesiæ provisura, a nostro eum corpore modis omnibus sciat esse removendum.*

At ait Febronius : etiam *Nestorius alienos a sua opinione episcopos excommunicavit sine jurisdictionis specie vel obtentu.* Inde inferre vult, ad excommunicandum non opus esse jurisdictione. Hoc argumentum jurisconsulto oppido indignum, infimus in schola discipulus explodet. Nestorius utique excommunicavit, sed ejus excommunicatio juxta omnes nulla et invalida fuit eo ipso, quod ipset anquam hæreticus et reus in suos judices non haberet jurisdictionem. Igitur potius contra rium ex isto exemplo eruitur, nempe ad excommunicationem proprie dictam in excommunicante necessariam esse jurisdictionem.

Denique ait Febronius, *eo ævo jus deponendi episcopos Rom. Pontifici competiisse, nemo mediocriter eruditus asseruerit.* Verum id eo ævo agnos-

cunt, et asserunt Patres et totum concilium Ephesinum. Cœlestinus P., non exspectato concilii judicio, sententiam tulit, ut nisi Nestorius intra decem dies resipiscat, eo deposito, per alium Ecclesiæ Constantinopolitanæ mox provideatur, atque excommunicationis anathemate feriatur. Hanc sententiam Cyrillo vice sua exsequendam commisit: *lecta hac Cœlestini epistola, in concilio omnes episcopi simul acclamarunt: hoc judicium justum est.* At non fuisset justum, si Cœlestinus jus et potestatem deponendi non habuisset. Igitur Patres hoc jus Rom. Pontificis non solum agnovêre, sed et satis clare assuerunt. Vid. c. 2, § 9 et c. 4, § 8, et perspicies, tum illo, tum prioribus ævis hoc jus Rom. Pontifici competiisse, et agnitum fuisse, quod non mediocriter solum, sed insigniter eruditi probant.

Ad 3. Si commissarii Imperatoris ab initio petierunt, ne Dioscorus tanquam reus in concilio sedeat, sicuti Leo P. mandaverat, inde non infirmatur Rom. Pontificis auctoritas et jurisdictio, quippe legati Pontificii tum rem habebant non cum concilio, sed cum commissariis tantum propter ordinem judicii, scilicet ne Dioscorus prius reus habeatur, antequam accusaretur. Sed vicit suprema Rom. Pontificis jurisdictio, atque in eo ipso facto elucet, dum extra consessum Patrum in medio tanquam reus sedere jussus est. Quis enim patriarcham Alexandrinum in publico consessu episcoporum a sua sede et loco honoriario de-

turbare potuisset absque juridictione, sicut fecit, jussitque Leo? quin summus hic Pontifex toti concilio leges dedit, ordinemque præscripsit. Epist. 59 ad Pulcher. Aug. ait : *datis ad venerabilem synodum congruentibus scriptis, quibus fraternitas advocata cognosceret, quam formam servare in hac judicatione deberet, ne nulla temeritas aut fidei regulis, aut canonum statutis, aut benignitatis remediis obviaret.* In epistola ad synodum, ait : *prioris autem Ephesinæ synodi contra Nestorium specialiter statuta permaneant :* neque in concilio amplius disputare permisit, quæ ipse in hac caussa prius definierat : *rejecta penitus audacia disputandi — — vana errantium infidelitas conquiescat. Cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam plenissime, lucidissime per litteras, quas ad B. memoriæ Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia et sincera confessio.* Hæc utique non merum *Directorium* aut *prætaxantem* auctoritatem, sed *veram et supremam jurisdictionem* loquuntur : neque hoc est egem accipere, sed dare concilio.

Multum contendit Febronius, Dioscorum non *a solo* Rom. Pontifice, sed *a tota synodo* depositum fuisse, neque Leonis P. aut vicariorum ejus mentionem factam esse ab episcopis in sententia insinuationis, neque in edicto publico Constantinopoli. Verum Febronius consequenter

ad suum systema probare debuisset, Dioscorum a concilio depositum fuisse sine interventu, scientia, approbatione vel consensu Rom. Pontificis. Depositus fuit sciente et volente Leone, præsentibus legatis, qui act. 3 hujus judicium significarunt, atque in sententiam depositionis præiverunt his verbis : *Sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnæ et senioris Romæ Leo per nos et præsentem S. synodum, una cum ter beatissimo et omni laude dignissimo B. Petro apostolo, qui est petra et crepido Ecclesiæ catholicæ et rectæ fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio.*

Igitur Leonis facta est mentio a legatis in ipsa sententia damnationis, sic quidem, ut *solus* Leo tantummodo per ministerium legatorum et synodi Dioscorum deposuisse videatur. Neque refragati sunt Patres, sed in suffragiis se huic sententiæ concordes dicebant. Nec opus fuit, in edicto vel sententia insinuationis Leonis amplius meminisse, cum totus mundus novit, hæc omnia præsente per legatos suos Rom. Pontifice, eoque volente, præjudicante atque dictante peracta fuisse.

Porro hìc probe notandum, quatuor fuisse accusationis capita, ob quæ Dioscorus depositus fuit. 1. Quod Eutychen a proprio excommunicatum episcopo in communionem recepisset. 2. Quod Leonem P. ipsum excommunicare attentasset. 3. Quod S. Leonis epistolam in synodo Ephe-

sina II, legi prohibuisset. Et 4. Quod ter ad concilium vocatus, venire renuisset. Priora illa minora videbantur Febronio ad censuram depositionis, atque auctoritatem Rom. Pontificis nimium extollere; ideo subdole advertit, episcopos sententiam depositionis probasse, *ejus*, Dioscori *præsertim contumaciam allegantes*, ac si propter hanc solam damnatus fuisset.

Sed Febronius fallaciæ manifeste convincitur ex ipsa synodo. Nam postquam Dioscorus ter vocatus non comparuisset, et Patres ob inobedientiam ad depositionis sententiam procedendum esse petierunt, vicarii sedis apostolicæ prius adhuc declararunt, *manifesta esse, quæ a Dioscoro quondam Alexandriæ magnæ episcopo commissa sunt adversus sanctarum regularum ordinem, et ecclesiasticam disciplinam.* Quippe ob hæc vocandus et judicandus erat in concilio, quæ tamen jam prius per accusatores et testes idoneos jam manifesta satisque probata erant, et tunc primum itum est in sententiam.

Exin memorat Febronius quasdam altercationes propter fidem, quam singuli episcopi profiteri debuissent; sed hæc nihil ad rem. Tandem negat, Patres confirmationem concilii, quæ ad fidem, et Dioscori depositionem pertinent, petiisse, sed eam non petitam Leonem obtrusisse, ideoque vocat S. Leonem *auctoritatis suæ commendandæ multum studiosum.* Necesse est igitur, ut iterum falsi convincam Febronium. In epistola synodica ad Leo-

nem P. aiunt Patres : *rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

Scio, Febronium in his verbis nodum quærere, et adhuc vitilitigare. At sufficere possent verba, *decretis tuis nostrum judicium honora*, item *Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat*, quæ verba majorem auctoritatem et pondus, quam simplicem adhæsionem et consensum certe significant. Nihilominus illa ipsa verba de propria et auctoritativa confirmatione, quam etiam circa ea, quæ ad fidem et Dioscori depositionem pertinent, petebant et exspectabant Patres Chalcedonenses, intelligenda esse, monstrabit ad oculum epistola 110 Marciani Imperatoris ad Leon. P. anno 453, *miramur supra modum*, ait Imperator, *quod post Chalcedonensem synodum, et litteras venerabilium episcoporum ad pietatem tuam missas, quibus omnia in synodo acta significabant, nullo prorsus pacto a tua Clementia ejusmodi epistolæ remissæ sint, quas videlicet in sanctissimis Ecclesiis perlectas in omnium oportebat notitiam venire, quod nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua beatitudo quæ in S. synodo decreta sunt, confirmaverit.* Videat hìc Febronius post epistolam synodicam a S. Leone litteras confirmatorias sic exspectatas fuisse, ut mirarentur Patres et Im-

perator, eas missas non fuisse, proin confirmationem in epistola synodica a Patribus per illa verba petitam fuisse, et si petita etiam non fuisset, nihilominus tanquam necessariam omnino exspectatam esse. Videat, eam confirmationem etiam circa ea, quæ ad doctrinam Eutychetis, adeoque ad fidem et omnia, *quæ in S. synodo decreta sunt*, pertinent, petitam esse. Vides denique, qualis fuerit, et quanti habita sit confirmatio Rom. Pontificis, ut in omnibus ecclesiis debuerit promulgari, et sine ea nequidem concilio generali submissio ac obedientia ubique præstita fuerit.

Prosequitur Imperator : *Et ob hanc rem tua Pietas litteras mittere dignabitur, per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat, in S. synodo peracta a Beatitudine tua rata haberi.* Tandem ait : *Quam ob rem ita veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat, quo confirmare ipsam Chalcedonensem synodum manifestissime ostendat, ut ii, qui exoptant invia diverticula, nullam habere possint suspicionem tuæ Sanctitatis.* Habeat hinc Febronius ex testimonio omni exceptione maximo Imperatoris Augusti, concilia, etiam præsentibus legatis apostolicis celebrata, adhuc egere *confirmatione* Romani Pontificis, et sine ea nec robur, nec firmitatem habere. Dicat nunc idem cum suo Bossueto ad invidiam tanti et maximi Pontificis, *auctoritatis suæ multum studiosum confirmationem non peti-*

tam impertitum fuisse, eamque esse confirmationem solum adhæsionis et assensus, quæ etiam ab *æqualibus*, imo ab *inferioribus* præstatur. Confirmatio, quæ a tota Ecclesia exspectatur, quæ omnibus ecclesiis manifesta fieri debet, atque promulgari, quæ fit mediante *Decreto*, et sine qua concilio non præstatur submissio, utique non simplicem adhæsionem et assensum, prout a particularibus episcopis fit, sed supremam auctoritatem et veram jurisdictionem loquitur, et dum confirmatio totius *synodi Chalcedonensis*, et quæ *in S. synodo peracta sunt*, petitur, etiam quæ *ad fidem et Dioscori depositionem* pertinent, necessario in ea contineri debere, manifeste deprehenditur. Et revera S. Leo, quæ in caussa fidei et Dioscori acta sunt, confirmavit, alia reprobavit, cassavit; qua auctoritate contra concilium generale? utique majori atque suprema. *Non ergo dicatis*, ait Nicolaus I, epist 8, *non eguisse vos in caussa pietatis Romanæ Ecclesiæ, quæ collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum, quia consensum Rom. Pontificis non habuerunt, valitudinem perdiderunt.*

Ad 4. Vel neget Febronius, quæ in concilio Lateranensi a Stephano Dorensi et concilio Africano dicta atque relata sunt, vel fateatur, penes Rom. Pontificem esse supremum et ultimatum judicium in caussis fidei et morum; quippe ista sat clara interpretationem et gradationem non

patiuntur. Novit utique Stephanus Dorensis Græcus, quæ antea circa hæreses, in oriente præcipue, ab episcopis et conciliis acta sunt, et tamen dicit, *hæreticos semper auctoritate summæ sedis damnatos esse.* Concilium Africanum vero non solum dixit, *antiquis regulis sancitum esse*, ut *absque notitia almæ sedis* etiam in *remotis provinciis* nihil tractetur et agatur, quod ad *jus relationis* ad primatum pertinet, sed insuper addit : *ut hujus auctoritate justa pronuntiatio firmetur.* Nempe non solus *accessus* et *assensus* exspectetur, uti Febronius ait, sed *pronuntiatio* sententiæ, aut hujus *confirmatio*, quod adhuc clarius exponunt verba subsequentia, scilicet ut *cæteræ ecclesiæ* de auctoritate almæ sedis, *velut de Natali fonte sumerent prædicationis exordium*, ac sacramenta *incorruptæ fidei* et *salutis* : non ut alma sedes ab aliis ecclesiis accipiat. Hæc systema et interpretationem Febronii totaliter invertunt. Dum igitur hæc omnia, quia publice in concilio lecta et probata sunt, negare non potest, fateatur necesse est, omnes hæreses tandem auctoritate Romanæ sedis irrefragabiliter damnatas esse, in omnibus negotiis inde pronuntiationem aut ejus firmitatem, atque doctrinam prædicationis fidei et salutis exspectari debere, seu quod idem est, ultimum et supremum judicium, præsertim in doctrina fidei et morum ad Rom. Pontificem pertinere.

Ad 5. Respondeo 1. Cardinalis Orsi sustinet,

probatque, concilii Florentini textum originalem fuisse latinum, quod etiam ratio convincit, quia verisimile non est, concilium in Italia celebratum, præsentibus totius Ecclesiæ primate, Christi vicario et Pontifice Latino, itemque potiore parte concilii, nempe centum quadraginta episcopis Latinis, fuisse primitus græco sermone exaratum. Textus autem latinus sic habet : *quemadmodum etiam in gestis conciliorum etc.*

2. In concilio utriusque linguæ episcopis proprio idiomate debebat exponi, quidquid ibi statutum fuit : ergo Latini latino decreto, prout sonat, et ibi promulgatum fuit, adhærere debent.

3. Expressio Blondelli ad summum æquivoca est. Quis autem credat, Patres in statuendo dogmate, quod inter alia controversum erat, voluisse sensum æquivocum relinquere, cum potuissent clarum et determinantem adhibere ?

4. Attamen illa verba, *quemadmodum et in gestis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur*, in sensu obvio et grammaticali idem sonant, ac illa, *quemadmodum etiam in gestis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur*. Atque potius testimonium significant, quo probatur et confirmatur primatus, non vero limitationem, seu qualis esse debeat.

5. Febronius contra auctores a se allatos omnino novam illa verba interpretandi viam iniit,

nempe ait, legendum esse, *juxta eum modum, qui et in gestis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur*, qui modus loquendi limitans et restringens est; sed quia nulla sufficiente ratione fulcitur, audiendus non est. Nos, cum textus originalis et editio latina adsit, hanc lectionem retinemus, versionem ex Græco non attendimus.

Attamen Febronius his nondum contentus, tom. II, in apolog. pag. 190, etc. etc. ait: quis legendi modus legitimus et genuinus sit, definiet nobis doctissimus archipræsul de Marca de C. S. et I. lib. 3. c. 8, n. 5: hic autem post alia dicit, decretum relectum fuisse Græcis ea verborum formula, *quæ illis grata fuit, descriptumque in charta latine, et ex adverso græce.* Postea lectionem adfert, quæ ipsissima est secundum expressionem Blondelli: huic subjicit de Marca. *Sententia hujus decreti hæc est, summam et plenam administrandæ Ecclesiæ potestatem a Christo fuisse Pontifici traditam, ea lege, ut ea utatur juxta modum, qui et in actis conciliorum œcumenicorum et in canonibus continetur.* Postea ait, lectionem latinam a græco textu desciscere *propter leve mendum, quod incuria Amanuensium irrepsit in his verbis*, quemadmodum et in gestis conciliorum, *nam latina lectio præfert*, quemadmodum etiam in gestis, qui error *primam concilii hujus e græco in latinum versi editionem invasit.*

Pax sit tanto viro! attamen definitio de Marca nobis haudquaquam authentica est, quin magis fabulosa atque ridicula videtur. Latini volebant, decretum de potestate Papæ et privilegiis primatus concipiendum et definiendum esse etiam *juxta dicta Sanctorum*, nempe ut dicta Sanctorum antiquorum servirent pro testimonio in regula, qualis et quanta sit potestas Papæ atque primatus. Equidem nemo unquam in Ecclesia etiam ex Latinis somniavit, quantumcunque Patrem vel sanctum per sua dicta Papæ aliquam potestatem vel privilegium de novo largitum fuisse, sed solummodo Latini illa dicta pro testimonio recipiebant, sic ut ex iis traditionem monstrarent: repugnabant Græci, quia existimabant, illa testimonia esse inepta ad testificandam primatus prærogativam, eo quod quandoque videantur nimia, et potius honoris, quam obligationis ergo dicta; hinc Imperator Græcus dicebat: *an si quis Sanctorum in epistola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio?* volebat autem Imperator, ut pro explicando primatu potius in testimonium et probationem assumerentur *canones et acta conciliorum œcumenicorum:* cedebant Latini, et sic, omissis *dictis Sanctorum*, decretum conclusum fuit.

Taceo hìc, Imperatorem reposuisse, quod erat in quæstione, quodque Græcis adhuc probandum erat, nempe Patres quædam tantum honoris gratia dixisse, aut tribuisse Papæ, non quod ei

revera competeret. Taceo etiam, quod sine testimoniis Patrum omnis traditio in Ecclesia ex solis canonibus et conciliis œcumenicis probari haud possit, quia in iis de quovis religionis negotio, fidei et disciplinæ capite non agebatur, quin potius ipsa concilia et canones ad traditionem et Patres provocabant : Patres vero semper sint testes et custodes traditionis.

Nihilominus, his prætermissis, saltem hoc ultro consequitur, Græcos, dum dicta Sanctorum pro testimonio, quo probatur primatus, admittere nolebant, in hunc finem canones et concilia asseruisse, et hoc ideo solum, quia putabant, Patres aliquando ex honore, non ex veritate, de Papa magnifice locutos fuisse; quare sicut Patres, quantacunque de Papa dicebant, ipsi idcirco non dabant, sed tantum testificabantur de ejus prærogativa : sic etiam, juxta mentem Græcorum, canones et concilia solum in testimonium traditionis circa potestatem primatus, non in potestatis largitionem aut auctoritativam determinationem vocanda erant.

Verum igitur est, quod *Græci obtinuerint, quod urgebant, atque decretum relectum fuerit ea verborum formula, quæ illis grata fuit,* uti ait de Marca, nempe, quia dicta Sanctorum prætermissa, et solum canones et concilia œcumenica allegata sunt : sed falsum est, quod potestas Petro et successoribus tradita sit *ea lege, ut ea utatur juxta modum, qui et in actis conciliorum*

œcumenicorum et in canonibus continetur, prout interpretatur de Marca. Non enim *de usu potestatis*, sed de *ipsa potestate*, qualis *a Christo tradita sit*, agebatur, et de hac canones et concilia testificari, non eam determinare debebant. Sane Christus non indeterminatam potestatem in Petro instituit, a conciliis primum determinandam, qualiter se explicare debeat, atque Petrus et primi Pontifices, antequam canones et concilia exorta sunt, num sua potestate uti non poterant, eo quod ejus usus ab illis determinatus nondum fuerat? quod sane ridiculum est. Fors usque ad concilia Constantiense, quod saltem dubium, et Basileense, quod certum atque legitimum Pontificem sibi subjicere, atque deponere ausum fuit, exspectare debuerant, ut sciant, quam infirma sit eorum potestas, et nullius vigoris primatus? cum tamen tanta sint privilegia primatus, teste S. Bonifacio I ad episcop. Thessaliæ, *ut Nicæna synodus non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret, nihil super meritum suum posse conferri : omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Privilegia*, teste Nicolao I, epist. ad Michaël. Imp. *Romanæ Ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, sed jam solummodo celebrata et honorata.* Hæc epistola lecta atque laudata fuit in synodo generali VIII, et denique, teste S. Gelasio I, P. contra fautores Acacii, *quod firmavit in synodo sedes apostolica, hoc robur obtinuit, quod*

refutavit, habere non potuit firmitatem, et sola rescindit, quod præter ordinem congregatio synodica putaverat usurpandum. Non igitur largitionem aut limitationem, sed probationem, non determinationem, sed testificationem Pontificiæ potestatis afferunt, et afferre possunt canones atque concilia, sicut nec dicta Sanctorum aliud afferre poterant.

Pariter conficta et contradicentia sunt reliqua, quæ de Marca profert. Unde enim probat, errorem in latinum textum incuria amanuensium irrepsisse, præcipue dum, ipso teste, jam in primam versionis ex græco editionem invasit? hoc non solum dicere, sed et probare debuisset. Dein ipse ait, decretum relectum, descriptumque fuisse in charta latine, et ex adverso græce, sicut et nos supra ex card. Orsi jam probavimus, verisimile non esse, quod concilium in Ecclesia Latina, præsentibus Papa et episcopis ut plurimum Latinis celebratum, solum græco sermone exaratum fuerit. Legitur autem in textu latino, *quemadmodum etiam in gestis etc.;* quidquid igitur sit de versione græca, hanc non attendimus, dum lectionem latinam habemus, ideoque nec Labbæus, nec Cossartus, nec Bachinius, nec Ursius erroris accusandi sunt.

Ad reliqua respondeo, hoc loco utique agi de primatu jurisdictionis, non de præeminentia Pontificis supra concilium generale : illud primum nec a Bellarmino, neque a Tridentino in con-

troversiam vocatum fuit. Non igitur quævis confundat, atque lectoribus imponat Febronius. Dum vero ex Didaco Payva et Launoio ait, Florentinum in Gallia pro œcumenico concilio non haberi, oppono ei testimonium Natalis Alexandri dissert. 10, hist. eccles. sæculo XV et XVI, art. 1, n. 6, et Melchioris Cani de loc. theolog. c. 3, qui ostendunt, vere œcumenicum fuisse. Qua vero ratione et fundamento Galli decreta concilii Florentini, præcipue circa primatum Rom. Pontificis, respuere, vel in dubium vocare audent, quando hæc, consentientibus Græcis atque Latinis, secundum antiquos canones et concilia œcumenica condita et definita sunt? dein etsi ad tempus Florentinum pro œcumenico non habuissent Galli, nil inde sequeretur; quippe etiam synodum Nicænam II, quamvis œcumenicam, pro tali sub Carolo M. et Ludovico Pio Galli aliquandiu non habuerunt, atque hìc dicere licebit, quod olim Christianus Lupus effatus est contra Gallos, conantes declarare, quænam concilia œcumenica sint, nec ne: *non spectat ad Ecclesiam Gallicanam hujusmodi declaratio, quæ primatum in Ecclesia Christi non habet.*

Ad 6. Concilium Tridentinum circa auctoritatem summi Pontificis utique superiorem conciliorum sanctionibus nihil superaddit, sed neque etiam de primatus potestate et jurisdictione quidquam detrahit, aut detrahere potest. At vero ridiculum est quærere, *a quo, quibus gradibus,*

quoad quas partes, tradita sit illa potestas, si tota Ecclesia novit, creditque, primatum, in quo residet illa suprema potestas, *a Christo* fuisse traditum, si ipsum concilium quoque dicit, esse in gradu *supremam*, et quoad partes, *in universam Ecclesiam.*

Ad 7. Ita est : ex his et nos petimus, qualiter Imperatorum, Pontificum et Patrum enuntiationes in hac caussa intelligendæ sint. Patres utique non crearunt Rom. Pontificis privilegia per sua effata, sed horum laudes illa privilegia jam præsupponunt. Interim jam alibi diximus, in conciliis non disputationes intermedias, sed finem et conclusionem attendendam esse. Imperator Græcus reponebat, quod erat in quæstione ; nam Græcis adhuc probandum fuit, honorifica Patrum effata tantum honoris ergo dicta fuisse, non jure deberi. Porro argumentum Febronii ex his deductum contra ipsum concludit : talem vult esse primatum Rom. Pontificis, qualem non *dicta Patrum*, sed *gesta conciliorum œcumenicorum et sacri canones comprobant.* Talem vero petentibus Græcis concilium Florentinum clare definivit, estque talis juxta decretum definitionis concilii : *Romano Pontifici in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* In his verbis tota Ecclesia *primatum jurisdictionis* agnoscit, et revera *plena potestas regendi et gubernandi* jurisdictionem necessario im-

portat, quippe huic nihil deest, nihil excipitur. Dein hæc potestas *a Christo*, non *ab Ecclesia* tradita fuit. Febronius autem hunc primatum jurisdictionis negat, Ecclesiæ tanquam ab ea acceptam subjecit : ergo neque eum primatum admittit, qui in *gestis conciliorum œcumenicorum*, et in ipso concilio Florentino asseritur.

Ad 8. Quod verba *sanctæ*, *catholicæ* et *apostolicæ Romanæ Ecclesiæ* attinet, item qualitatem *matris et magistræ*, itidem lectorem remitto ad loca citata in not., ubi ad ista satis respondi. Cæterum, *debito obediendi* ex opposito semper respondet *jus præcipiendi* : quod si quis hoc jus habeat in totam aliquam communitatem, et pro bono publico communitatis, jurisdictio nominari solet : sed potestas Papæ omnia in se complectitur : accepit enim illimitatam potestatem ligandi et solvendi a Christo, pascendi gregem universum, atque, definiente concilio Florentino, est *omnium christianorum pater et doctor*, hinc habet potestatem præcipiendi *paternam* et *pædagogicam*; dein, juxta idem concilium, ultra hanc potestatem eidem *pascendi*, *regendi*, *gubernandi universalem Ecclesiam plena potestas tradita est*, et inde habet *jurisdictionem universalem*. Quid juvat ergo de privata et limitata potestate quærere, quando concilium eidem tribuit *omnem*, atque hanc et illam exprimit? Tandem dum Febronius ait, episcopos et clericos posse Rom. Pontifici obedientiam jurare mente ad tenorem canonis Florentini, *juxta*

cum modum, qui in gestis conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur, num hæc lectio canonis certa et genuina est? eam supra novam, et solius Febronii auctoris esse monstravi. An aliquis, stante saltem dubia adhuc lectione, tali restrictione mentali in juramento bona fide et conscientia uti poterit? profecto laxissimus probabilista ista non admittet.

Ad 9. Febronius omnia ad relationes et officium primatus refert: bene! huc utique pertinent, sed ad primatum jurisdictionis, non meri ordinis. Atque ut percurram breviter singula: num absque jurisdictione Gregorius M. potuit causam monachorum a patriarcha Constantinopolitano ad se vocare, et spernentem punire, prout ipse ait epist. ad Narsem Patric. *omni virtute et omni pondere eandem causam — — exigere paratus sum, in qua si videro apostolicæ sedis canones non servari, dabit omnipotens Deus, quid contemptores ejus faciam.* Et hoc solum ideo, quia *apostolicæ sedis canones non servabantur.* In secundo exemplo non solum patefit recursus, sed etiam judicium Rom. Pontificis: non potuit autem judicare causam episcopi, vel alteri ad judicandum committere sine jurisdictione. Idem est ad 3 et 4. In quo ultimo hoc notatu dignum est, quod Gregorius causam Januarii Malacitani in se susceperit, et delegaverit, antequam a concilio provinciali coram metropolita vel patriarcha, prout tunc temporis disciplina ferebat, fuisset cognita,

et hoc ideo solum, quia episcopus, qui concilii episcopos suspectos habuit, hoc petiit. Ad 5. Quod ille episcopus Romæ accusatus fuerit, ibi comparuerit, judicium exspectando, satis probat, episcoporum caussas, etiam, non præcedente concilii provincialis sententia, ad sedem apostolicam fuisse deductas, atque judicatas. Ad 6. Episcopi Romani in Illyricum etiam jus patriarchale extendebant, sed, ut alibi dixi, sic ut jura ibidem exercendo non illud, sed jus primatus universalis allegabant. Et utique dum Gregorius Joanni, quem, petentibus provinciæ episcopis, confirmavit, etiam rescribit : *et vices vos apostolicæ sedis agere iterata innovatione decernimus, vices apostolicæ sedis* agere plus quam juris metropolitani et patriarchalis delegationem significat. Interim editores Mauriani per hæc novissimum ex Gallia testimonium afferunt, ibidem Rom. Pontifici potestatem *jurisdictionis* in universam Ecclesiam asseri, quam negat Febronius, Gallosque in subsidium perversæ suæ doctrinæ vocat.

His tamen adversarius nondum dimittit Gregorium Maximum Pontificem. Tom. II, Apol. flores sparsi fol. 420, contra editores operum S. Gregorii sustinet, eum plura suscepisse cum auctoritate, attamen sine exemplo, eaque non fuisse acta veræ jurisdictionis : aliqua suscepta fuisse ex abundanti zelo, et singulari confidentia episcoporum ac Imperatorum beneplacito, denique eum allaborasse pro extensione Pontificiæ potestatis ul-

tra nativos fines, hancque etiam summorum virorum infirmitatem esse. Dein omnia vel ad jura patriarchalia Rom. Pontificis, vel specialem primatus curam refert.

Verum in his, quæ gessit Gregorius, agitur de depositionibus, provisionibus, pœnis ac caussis episcoporum, in quibus judicandis utique jurisdictio intercedit : quod si igitur Gregorius tantum jure metropolitico vel patriarchali gessit, quare id non præstitit in concilio provinciali, prout canones et disciplina illius ævi postulabant? quare solus id egit propria auctoritate? novitas sine exemplo, abundans zelus, confidentia episcoporum ei non dabant jurisdictionem, nec patriarcham a transgressione canonum in rebus momenti absolvebant. Hæc cum refellere non posset Febronius, satius illi fuit, impudentissime criminari sanctum Pontificem, illumque novitatis, extensionis suæ potestatis et usurpationis accusare. Hoc insigne Febronii, aliorumque sui similium artificium, vel potius damnabilis fraus est. Traditionem antiquæ Ecclesiæ et veterum testimonia Patrum continuo altum buccinant : hæc si adversus eos proferuntur, vexant, torquent, alienum sensum substituunt : his si nihil proficere possunt, omnino criminantur, detrahunt, injuriis afficiunt, nigrisque coloribus depingunt. Sic Victorem, Stephanum, Innocentium, Gregorium, Leonem, Zozimum, omnes sanctissimos Pontifices mordaci et injurioso calamo proscindit

Febronius. At certe quæ S. Gregorio M. objectat, cum ejus sanctitate et summa humilitate nequaquam conveniunt, ipseque contra objecta sui ipsius luculentus defensor est, dum lib. 2, epist. 37, ait : *quod vero dicitis, nostris temporibus debere servari, quæ a meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt; absit a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam.* Et lib. 3, epist. 29, *sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus. Si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debet ordo, confundatur.* Haud ita locutus, neque loqui ausus fuisset Pontifex innovationis, extensionis Pontificiæ potestatis, usurpationis, et præripiendorum jurium episcopalium studiosus. Restat igitur, ut quidquid in universa Ecclesia gessit Gregorius, cum propria auctoritate et jurisdictione egisse.

§ V.

Romanus Pontifex communibus Ecclesiæ legibus obligatur.

An, et qualiter in iis dispensare valeat? quomodo id possint episcopi?

Regiminis in Ecclesia instituti Christus absolutus dominus et monarcha est, sed quatenus istud regimen *hominibus* a Christo traditum fuit,

ministeriale tantum est, legibusque a Christo positis adstrictum. 1. Ad Corinth. c. 4, v. 1, sicut autem reliquis apostolis, ita et Petro, quæ liganda erant, ligandi, quæ solvenda, solvendi a Christo datum est *ministerium*, non quæ liganda, solvendi, et quæ solvenda, ligandi concessa facultas. Multo minus illis facere licuit, quod Christus suo exemplo non docuit, qui non venit solvere legem, sed adimplere. Quotquot Petri successores cognoverunt, sibi a Deo creditum esse ministerium *ad ædificationem*, non *ad destructionem*, et si sua potestate contra canones uterentur, una manu destruere, quod apostoli, Patres tanto laborum, sanguinis et vitæ impendio altera manu construxerunt : totidem fassi sunt suam obligationem, se Christi et universalis Ecclesiæ canonibus conformandi. Vid. Grat. caus. 25, q. 1. Utinam hoc scivissent et agnovissent omnes, non potuissent delecti a Paulo III prælati dicere, nonnullos Pontifices sibi coacervasse sibi magistros ad desideria sua, qui docerent, voluntatem Pontificis esse regulam, et inde effici, ut quidquid libeat, etiam liceat. Nec scripsisset Hadrianus VI, abusus esse in spiritualibus etc. Huic malo nullum opportunius remedium adhiberi potest, quam si Ecclesia regatur canonibus. Hinc Tridentina synodus toties commendavit, ursitque veterum, verorumque canonum restitutionem et observantiam, a qua certe Rom. Pontificem, qui tamen illorum a Deo custos

constitutus est, non absolvit, qui olim in sua inauguratione profiteri debebat, se velle omnia decreta prædecessorum et synodalia probata confirmare, indiminute servare, in sui vigoris stabilitate custodire etc. etc.

1. Romanæ curiæ adulatores aiunt, Pontifices profiteri se subjectos canonibus quoad *vim directivam*, *non coactivam*, sicque nolentes agnoscunt, Papam, si contra canones agat, peccare quidem in Deum, sed ad eos observandos cogi non posse. De *directa* coactione agetur cap. 6, § 1 et 16, de *indirecta* hîc tantum memoratur: sicut Pontifex contra canones agens peccaret, ita et episcopus vel alius talem ordinationem contra canones, v. g. dispensationem exequens, sicque illam non tantum non deberet, sed nec posset exequi. Dein adversus similia contra canones attentata datur locus remediis juris, de quibus cap. 9, scilicet retentio Bullarum, appellatio ab abusu, legitima resistentia.

2. Dantur interdum caussæ, ob quas a jure communi, a canonibus, et canonum littera recedendum est: necessaria igitur in Ecclesia est potestas leges interpretandi, mitigandi, dispensandi. Concilium Lateranense sub Innocentio III, cap. 50 et Tridentinum sess. de reform. cap. 18, duas tantum caussas dispensandi admittunt, sunt nempe *necessitas* et *utilitas*, hæc autem, ut ait Bernardus, debet esse *communis*, non *propria*.

3. Eadem ferme in Ecclesia fuêre fata juris

dispensandi, quæ juris reservandi caussas majores. Per tria prima secula episcopi soli dispensabant, postea ad concilia, ab his ad Papam sensim deductæ sunt, uti Thomassin. part. 2, lib. 3, cap. 24 ex seculis IV et V ab Ecclesia Africana, ac etiam oriente demonstrat. A seculo VI ad XII episcopi et particulares synodi passim adhuc utebantur nativo suo jure dispensandi, quamvis sæpe recursus fieret ad sedem apostolicam in caussis majoribus et difficilioribus, quas episcopi sponte amandabant. Defluit hæc potestas *ex jure ligandi et solvendi,* quod cuivis episcopo datum est. Neque sic inferior dispensat in lege Superioris; nam nec Papa in decretis conciliorum generalium dispensare posset *in Gallia*, ubi his conciliis subesse creditur : et, juxta theologos ac canonistas, Papa *in certis casibus* dispensare potest *in lege divina* ex ratione, quod omnem acceperit potestatem necessariam ad rectam Fidelium gubernationem.

4. At particularibus synodis ferme ex integro desinentibus, episcopis sua jura negligentibus, Pontificibus suas prærogativas in immensum exaltantibus, dispensationes sedi apostolicæ reservatæ sunt. Hujus novi juris princeps, parensque est Innocentius III, pro motivo allegans *plenitudinem potestatis ;* sed hanc sat infirmo pede stare, prudentioribus notum est. Si huic juri solidius fundamentum quærendum, forte illud Pontifici competit velut *annexum primatus*, sed hoc non admittere videtur Gerson : verius, certiusque ei attributum est *ab Ecclesia.*

5. In conciliis Lateran. III et IV Pontifici *exclusiva* potestas dispensandi tribuitur; sed hujus ratio fuit, ne nova disciplinæ restauratio pondus et vigorem facile amittat, si singulis episcopis permitteretur in ejus decretis dispensandi facultas. Verum hæ reservationes non fuerunt generaliter receptæ, ut patet ex constitutionibus synodalibus Richardi Poore, episcopi Anglicani, apud Harduin. tom. VII, col. 89 et ex concilio Andegav. anno 1365, can. 8, eod. tom. VII, col. 1774. Dein merito dubitari potest, an hæc jurium episcopalium translatio sit habenda pro *perpetua* vel *temporaria* tantum, et tamen hodie omnes ferme dispensationes ad Pontificem pertinere communiter creduntur.

6. Ex his concluditur, episcopis competere jus dispensandi in omnibus caussis dispensabilibus : huic juri non potuisse præjudicari per reservationes Papales ex prætensa plenitudine potestatis, atque minime certum esse, has reservationes esse perpetuas. Simili modo loquitur Rebuff. in praxi Benefic. tit. de dispens. pag. 370, aitque, episcopos contra concilia generalia ex caussa adhuc dispensare in Gallia.

7. Prius nonnullæ dispensationes etiam per concilia generalia reservatæ sunt summæ sedi, quia sic melius prospectum videbatur disciplinæ ecclesiasticæ, sed deinde versum est folium. Gerson tract. de reform. eccles. in concil. univers. cap. 26 monet, super omnia cavendum esse uni-

versali ecclesiæ, ut nunquam sub quovis colore concedat Papæ potestatem dispensandi, quia, crescente avaritia Pontificum, cardinalium et prælatorum, tam per Papæ reservationes, quam per inquas cameræ apostolicæ constitutiones, et cancellariæ regulas, et ambitiosas dispensationes statuta conciliorum sint fere immutatæ, et quasi in desuum et oblivionem posita.

8. Sic cogitabatur tempore concilii Constant., et etiam adhuc tempore Tridentini, uti colligitur ex concilio delectorum prælatorum sub Paulo III. Tridentinum igitur dispensationibus modum posuit, sed Romæ non servatur. Cum Pius V, cum duobus Hispanis in causa matrimoniali canonice dispensasset, qui 15000 aureos obtulerant, monuit Datarius Papam, ut hanc summam acceptaret, pro usibus adplicandam. Reposuit Pontifex : *raro, ex caussa, et gratis*. Loquebatur Pontifex ex concilio Trident. et traditione *Romanæ sedis*, Datarius ex usu *curiæ*, qui hodiedum viget.

9. Bonifacius VIII, qui favit pluralitati beneficiorum, conscientia ductus, omnes has dispensationes revocavit, quibus munitur cultus divinus, et quæ personis, non ecclesiis datæ sunt, *quodque nobis licere non putamus*, ait, *nostris successoribus indicamus*. Quod autem Bonifacius de una specie dispensationis dicit, in omnibus pæneque obtinet. Quis, post hanc Bonifacii decretalem, sustineat, Papam non ligari canonibus?

10. Quod de' *dispensationibus*, idem de *privi-*

vilegiis, proportione servata, tenendum venit. Sed hæc, neque *æquitate suadente*, nec *justitia salva*, servata sunt in privilegiis regularium concessis cum perturbatione *juris canonici*, et eversione *jurium episcopalium.*

NOTA.

Febronius in hoc paragrapho sibi cohærentia non loquitur : si abusus solum perstringit, ultro cedimus, si potestatem Rom. Pontificis invadit, resistimus, quanquam et ipse eandem haud obscure hìc profiteatur. Attamen quod sanum, sanctumque est, etiam in malum sensum detorquere novit. Sed a capite incipiamus. *Si regiminis in Ecclesia instituti Christus absolutus monarcha est :* ergo regimen Ecclesiæ *monarchicum* est. Sit, quatenus hominibus traditum, *tantum ministeriale*, quia tamen suam potestatem uni Petro, tanquam vicario universali communicavit, quem Ecclesiæ ædificandæ fundamentum, et totius gregis pastorem sua vice constituit, uti c. 1 demonstravimus, inde tantum sequitur, Petrum in potestate et regimine esse ministrum et vicarium Christi, summi monarchæ; per hoc igitur non cessat, adhuc illud ipsum esse regimen, quod ab initio constitutum fuit. Cedat ergo Febronius cum sua aristocratia, vel democratia, quam cum damnatis auctoribus in Ecclesiam invehere voluit. Qualis hæc facies monarchiæ, si monarcha sit

absens et perpetuo invisibilis, potestas vero in plures æquales, vel in omnes omnino divisa? sufficit summum monarcham Christum in regimine Ecclesiæ *sui vicarium*, quem Petrum, ejusque successores esse, traditio, Patres et concilia clare declarant, post se reliquisse, quibus tota monarchia ecclesiastica absolvitur.

Interim nequaquam dicimus, Christi vicarium summum Pontificem legibus omnino solutum esse; quin legibus Ecclesiæ se conformandi obligationem, non diffitente ipso Febronio, plures publice professi sunt Romani Pontifices, et inter hos etiam Innocentius III, quem hìc et alibi metas suæ potestatis excessisse, acerbius incusat Febronius. Quippe cap. *cum omnes.* tit. de constit. rescribit episcopo Trecensi: *Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, et sapientis dicat auctoritas, patere legem, quam tu tuleris.* Quinam autem sunt hi canones et leges, quibus Rom. Pontifex adstringitur? an non plurimi sunt ab ipsis Pontificibus conditi? dum igitur his successores Pontifices tanquam legibus adstringuntur, utique Rom. Pontifex habet potestatem condendi leges pro universa Ecclesia. Hoc comprobat etiam laudata a Febronio professio fidei, quam Neoelectus Pontifex olim in sua inauguratione profiteri debebat, ex quibus sequitur, Romanorum Pontificum neutiquam fuisse et esse mentem aut doctrinam, quod se legibus universalibus Ecclesiæ conformare non debeant, atque *pro mero arbitrio* regere valeant.

Ait Febronius, illam professionem fidei jam dudum exolevisse. Ast non exolevit illa mens et doctrina, quam etiam post falsas decretales professus est novi juris assertor, et audax jurisconsultus Innocentius III quibus eum encomiis decorat Febronius. Interim citatus liber diurnus, in quo illa professio fidei continetur, plura comprehendit, quæ potestatem legislativam in Papa certo certius important. Inter alia, in hac professione novus Pontifex promittebat, se decreta *prædecessorum suorum Pontificum servare, custodire*. Febronius hoc argumento probat, Pontificem *communibus Ecclesiæ legibus obligari*. Igitur Rom. Pontifex pollet vera potestate condendi leges, si successor decretis sui prædecessoris, tanquam veris legibus obligatur. Nihil hìc de *receptione* aut *promulgatione* reperitur, quod exceptionem patiatur, aut quo evadere possit Febronius.

Neque ex consilio delectorum prælatorum, si tamen illud genuinum est, quod sæpius in scenam adfert Febronius, et de quo inter eruditos nondum constat, adhuc evincitur, illos *nonnullos* Pontifices, de quibus loquitur consilium, revera existimasse, se legibus omnino solutos esse, sibique licere, quidquid libet : sed solum adulantes doctores ibi perstringuntur, qui talia docerent, et quos utique Pontifices non coacervassent, aut quæsivissent, si prius jam de hoc persuasi fuissent. Totum igitur, sicut et illud,

quod scripsit Adrianus VI, ad *abusus* quosdam recidit, dum aliqui Pontifices indulgentius sua potestate utentes in hujus exercitio excessêre, inveneruntque adulatores, qui eos in factis suis laudantes, bonum, licitumque dixerunt, atque in perverso usu suæ potestatis confirmaverunt. Sed quis dicet, omnes semper Pontifices sanctissimos fuisse. Inspice aulas totius orbis principum : utinam nullibi et nunquam adulatores et perversi doctores politici eos circumvenirent, atque ad abusus, quin et excessus suæ potestatis ultra justos limites propulsarent, docentes licitum et bonum esse, quod libet, semperque verum erit, rectores hujus mundi, sive Pontifices, sive episcopos, sive Imperatores, sive Reges et Principes *homines* esse, hominesque per homines regi. Quis tamen inde concludet, principes legitima potestate carere, prout Febronius semper monarchiam cum tyrannide, potestatem cum abusu confundit, quasi seditiosa sua principia et argumenta a potestate sacra ad potestatem politicam non directe concludant.

Ad 1. Febronio non placet distinctio inter *vim coactivam* et *directivam*. Sed invidiam hìc prodit, et ludibrio omnium doctorum sese exponit. Nam 1. Hæc distinctio Romanæ curiæ adulatorum inventum non est : ea utuntur non solum infimi, sed et præstantissimi quique auctores tum Galli, aliique et inter hos novissime D. Barthel. Atque hæc distinctio non solum de Papa, sed

de omni legislatore supremo, etiam politico locum habet, qui ad observationem suæ legis a subditis cogi non potest, quia his non est inferior et nemo se ipsum cogit. Num autem Febronius omnibus præstantissimis theologis, canonistis, atque auctoribus prælabendus sit? certe nimium est, quod petis. 2. Ipse Febronius talibus scholæ distinctiunculis ad profligatam caussam suam defendendam utitur, attamen minus felici successu: quippe sensit pondus argumentorum, quibus in Romano Pontifice *jurisdictio in universam Ecclesiam* probatur; effugium quærit, atque *ad firmissimorum horum principiorum eversionem, seu potius elusionem*, uti ipse de ejusmodi distinctionibus loquitur c. 1, § 1, atque *solum ad declinandam convictionis confessionem* distinctione utitur, dumque Papæ *jurisdictionem* negare non potest, eidem jurisdictionem *non proprie* talem competere asserit hic § 4, et quod nos *jurisdictionem*, ipse *amplam auctoritatem* adpellat. 3. Febronius tractandæ materiæ momenta hoc loco ita dispertit, ut hìc de *indirecta*, c. 6, de *directa* coactione se acturum profiteatur. At c. 1, § 1, etiam distinctionem inter *directe* et *indirecte* explodit. Quod addit, episcopum vel alium peccare, nec posse exequi dispensationem Pontificis injustam, id ipsum locum habet in confessario vel parocho, qui dispensationem injustam episcopi exequeretur. Nunquid manifeste deberet esse injusta, et si fraude, ob- vel subreptione obtenta

sit, ipsi Pontifices volunt esse nullam atque invalidam? per hæc vero legitima potestas dispensandi non tollitur; violentis autem remediis, ut vocat, juris, quæ hìc allegat Febronius, suo loco obviabitur.

Ad 2. Ergo datur in Ecclesia potestas dispensandi in canonibus et legibus universalibus; causas vero dispensandi *necessitatem* vel *utilitatem* esse nemo negat; attamen istæ utrum, quales et quantæ sint, attentis omnibus circumstantiis, expendere et judicare ad privatos non pertinet. Neque enim patitur legislator aut princeps secularis motiva suæ dispensationis a privatis dijudicari, minus desuper rationem reddit.

Ad 3. Febronius ait, episcopos tribus primis seculis dispensasse. At 1. Id nullo omnino argumento, nullo exemplo probat. Certe primis tribus seculis, ubi pia æmulatione atque fervore leges sacræ passim ab omnibus exactissime observabantur, quin et ultra, quam lex ferebat, suam observantiam extendebant, uti constat de jejuniis, vigiliis et festis, in his, inquam, sæculis, nullæ, aut vix ullæ fiebant dispensationes; imo non tam dispensationes, quam declarationes erant. 2. Neque probat, episcopos illis seculis dispensasse in canonibus conciliaribus et Pontificiis, seu legibus universalibus Ecclesiæ. Neque 3. Id factum fuisse absque consensu expresso vel tacito ac voluntate summi Pontificis aut conciliorum. Multum ergo asserit, sed nihil probat. Quare

autem ait? *ubi concilia frequentari cœperunt, episcopis consultissimum visum est, si ad ea dispensationes referrentur.* Minus verisimilia hìc loquitur. Si quivis episcopus jure nativo dispensandi gaudet : si hoc jus illi necessarium est ad regendam in diœcesi sua Ecclesiam Dei, tunc utique id exigente necessitate vel utilitate suum munus erat, legem relaxare : cur ergo exspectabat concilium, ut dispensationem illuc deferret? num, premente necessitate vel utilitate, semper et mox præsto erat concilium? vel necessitati jam præteritæ concilium longe subsequens adhuc consulere et mederi potuit? porro si res penitius inspiciatur, episcopi sæpe non tam dispensationes, quam impedimenta et obstacula, quæ in observanda lege non solum apud singulares, sed sæpe in tota fere diœcesi vel provincia occurrebant, ad concilium deferebant, quo casu, cum lex debeat esse loco temporique conveniens, concilium non dispensabat, sed potius legem declarabat; notum est autem, illis temporibus, concilia provincialia relationem de suis gestis, si quid momenti in eis occurrebat, vel etiam acta ad sedem apostolicam misisse, sæpe etiam legatum apostolicum illis præsentem fuisse.

Profecto *factum*, episcopos tribus primis seculis in omnibus caussis dispensabilibus et legibus universalibus Ecclesiæ propria auctoritate dispensasse, neutiquam probat Febronius. E contra, jam seculis IV et V, ab Africana Ecclesia

et oriente Romanis Pontificibus pro dispensationibus supplicatum fuisse, ex Thomassino pluribus exemplis id demonstrante, palam fatetur: igitur censebatur, veteri hoc ævo, Rom. Pontificem a communibus legibus non solum in sua dioecesi Romana, sed etiam in aliis, atque in universa Ecclesia dispensare posse, et hoc quidem ante omnem reservationem et infaustas Isidori decretales.

Quod vero a seculo VI ad XII usque, non obstante, quod sæpe recursus fieret ad sedem apostolicam, episcopi et synodi passim adhuc dispensarent, iterum nihil probat. Quippe amplius probari debet, eos absque præscitu et voluntate Rom. Pontificis, atque in legibus universalibus Ecclesiæ, de quibus hic sermo est, dispensasse. Nec sufficit dicere pro adstruendo in dispensationibus jure Pontificio, *episcopos sponte ad Pontificem dispensationes amandasse*, quasi hoc jus solum precario haberet; nam hoc ab omnibus episcopis, orientis præcipue, præsumi non potest, nec debet, sed iterum Febronio hujus probatio incumbit.

Porro *jus dispensandi* in episcopis, quod attinet, ex *jure ligandi et solvendi* cuivis episcopo concesso probat. Attamen hoc jus num se extendit ad universam Ecclesiam? an quivis episcopus totam Ecclesiam ligare vel solvere potest? an illud jus non est restrictum ad cujuslibet dioecesin? an non subordinatum primatui? num

tota Ecclesia per altiorem et supremam auctoritatem ligata episcopus suam dioecesim ab hac lege solvere potest? an non Petrus solus a Christo accepit potestatem ligandi, solvendi, pascendi, regendi *in universa Ecclesia*? nempe Febronius hic iterum ex suo systemate omnes episcopos aequales, et tot in Ecclesia primates, quot episcopos vult efficere.

Sed ais: nihil obstare, quominus inferior dispenset in lege superiora, secus etiam Papa non posset in decretis conciliorum generalium dispensare in Gallia, in qua eadem subesse creditur. Inanissima ratio! certa et constans apud omnes theologos et piratas regula est, quod inferior non possit dispensare in lege superiora: hoc autem fieret, si episcopus particularis dispensaret in lege universali Ecclesiae. Gallorum vero sententia nimi certa, et veteri doctrinae atque traditioni convenienti est? quin Gallos ad ipsum argumentum premit. Papa dispensat, agnoscente Gallia, etiam in decretis universalium conciliorum, ergo ea inferior non est. At tamen ipsi Galli tibi respondebunt, hoc fieri ex consensu praesumpto conciliorum, atque hoc jus pro casu necessitatis vel utilitatis Ecclesiae pertinere ad primatum Petri. Elias Dupinius, Febronio inter caeteros addictissimus, et quem ipse citat Tom. III. in responsione ad univers. Gætting. p. 341, sic habet: *Theologi nostri censent Romanum Pontificem a legibus, a conciliis etiam generali-*

bus latis, sapienter dispensare posse eo in casu, quo concilium ipsum dispensaret. Colletus tom. II, de jur. primat. p. 526, *eum* (Papam) *dispensare posse a legibus, etiam a concilio generali latis, in iis casibus, in quibus dispensaret ipsum concilium, et juxta regulas dispensationum praescriptas in conciliis.* Hi igitur non tantum in Rom. Pontifice agnoscunt potestatem dispensandi in legibus universalibus conciliorum generalium, sed et hanc potestatem ad *jus primatus* referunt, quippe de hoc ambo loquuntur. D. Habertus vero tract. de leg. cap. 10, cum reliquis theologis ex eo, quod inferior non possit dispensare in lege superioris, concludit, episcopos non posse dispensare in canonibus et praeceptis universalibus Ecclesiae: nisi id ipsis sit concessum *vel jure, vel consuetudine, vel delegatione.* Vides hinc episcopos per se et propria auctoritate non posse dispensare in communibus Ecclesiae legibus. Vides etiam, qua ratione dispensent quandoque, praecipue in casibus frequentibus, e. g. in jejunio, observatione festorum, et ita practicent tum in Gallia, tum alibi, nempe ex *concessione* vel *a jure*, vel *consuetudine*, vel *delegatione.*

Neque argumentum *a lege divina* petitum quid valet, sed contra Febronium concludit: ii theologi et canonistae, qui docent Papam in certis casibus dispensare posse *in lege divina*, pro fundamento ponunt, id Papae a Christo Domino concessum fuisse. Sic S. Thomas quaest. 97, art. 4

in respons. ad 3, ait, *in præceptis juris divini, quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.* Quin, teste Febronio, ii auctores ducuntur hac ratione, quia Papa *accepit omnem potestatem necessariam ad rectam fidelium gubernationem.* Igitur Papa jam non, nisi ex *concessione* a Deo in *lege divina* dispensaret.

Ad 4. Febronius non probavit, episcopos *propria auctoritate* dispensasse in *legibus universalibus Ecclesiæ,* nulla præeunte concessione a jure, *consuetudine* vel *delegatione :* e contra, Rom. Pontifices in tota Ecclesia in canonibus universalibus dispensasse negare non potest : igitur reservationes talium dispensationum juribus episcoporum derogare, adhuc neutiquam evicit. *Plenitudo* autem *potestatis,* ad quam Innocentius III, has reservationes refert, fluit ex primatu Petri, utpote in quo illa radicatur. Nempe ad primatum pertinet omnis illa potestas, quæ ad rectam Ecclesiæ gubernationem, pacem, ordinem et tranquillitatem quovis tempore necessaria est : et hæc est illa plenitudo potestatis, sicque sat firmo pede, solidoque fundamento nititur.

At Gerson istud admittere non videtur? existimabam, concilium aliquod œcumenicum, vel veteres ex traditione Patres obstrepere. Nunc nobis Gerson opponitur, homo privatus, in Rom. Pontifices aperte injurius, de quo Franciscus Victoria tract. de auctorit. Papæ et concil. ait, quod

fuerit per omnia auctoritati summorum Pontificum infensissimus, et Didacus Payva, *ut conciliorum nomen factiose potius, quam pie et sapienter amplificaret, ita Rom. Pontificem depressit, ut ejus a conciliis jurisdictionem minui et extenuari, summamque potestatem certis quibusdam legibus circumscribi, et quasi decurtari posse judicaret. Quod quidem non est dispensandi licentiam reprimere, ut existimavit, sed sementem schismati facere.* Vid. supra hoc cap. § 3, in not.

Nihilominus idem Gerson l. de vit. spirit. animæ lect. 3, ait : *Habet itaque Papa dominium superioritatis a Christo supra totam Ecclesiam cum plenitudine potestatis in eis, quæ spirituale regimen Ecclesiæ proprie dictum respiciunt.* Gerson hìc clare admittit in Papa *plenitudinem potestatis*, hanc *a Christo* datam agnoscit, ideoque ad primatum pertinet. Hinc nec Gersonius obstare videtur.

Sed si Gerson et adhuc centum alii cum Febronio obstarent, quid isti hominem catholicum morarentur, aut movere possent, cum in concilio Florentino, assentientibus Græcis et Latinis, clarissime definitum est, Rom. Pontifici *in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Non puto autem hæc duo, *plena potestas* et *plenitudo potestatis* inter se multum differre ; ubi enim est *plena potestas, ex plenitudine potestatis* agere utique licebit? cessa igitur suggillare atque corrigere Innocentium III.

Ad 5. In concilio Lateranensi IV, per illa verba, *circa sublimes et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari,* summo Pontifici non *tribuitur exclusiva* facultas dispensandi; quippe in hoc concilio non fuit quæstio aut dubium *de potestate* dispensandi in Rom. Pontifice, et reservationes dispensationum tunc utique jam invaluerant, sed solum agebatur *de caussis* dispensationum et *personis*, quibus gratia legis fieret; hoc autem non ad potestatem, sed hujus exercitium et rectum usum pertinet. Ex eo autem, quod aliquis episcopus vel synodus particularis urgeant observationem legis aut veterum canonum, quod utique justissime et ex officio faciunt, adhuedum neutiquam sequitur, eos justas ac rationabiles dispensationes nos admittere, vel tales reservationes, quæ Rom. Pontifici competunt, excludere. Sic concilium Andegavense anno 1365, reservationes Pontificias in conciliis Lateranensibus statutas non simpliciter non recepit, sed solum disposuit, ut qui a sede apostolica beneficia accipiunt, id intra tres menses publicent.

Neque hìc quidquam valet quæstio, utrum tales reservationes sint *perpetuæ*, vel solum *temporariæ?* ubi ex una parte potestas in Papa est perpetua, atque hæc potestas non ab episcopis collata fuit, sed in primatu perpetuo jam præexistit, ut supra ostendi : ex altera parte, ut ipse recte ex Thomassino monet Febronius, motivum

et caussa harum reservationum fuit nova in Ecclesia Latina disciplinæ restauratio, *quæ nullius ponderis et vigoris futura erat, si singulis episcopis permitteretur in ejus decretis dispensandi facultas.* Accedit, quod, referente Thomassino, similem reservationem in Gallia susceperit Innocentius III, *eo quod impares se sentirent* episcopi Gallicani *tantæ et multitudini et importunitati hominum, has dispensationes flagitantium.* Num vero hæ caussæ non semper subsistunt? et si revera non subsisterent, subsistit tamen *perpetuo* jus et potestas reservandi dispensationes in lege communi, quæ ad episcopos, juxta dicta supra num. 3, per se non pertinet.

Ad 6. Ex his concludimus contra Febronium, episcopis *per se et propria auctoritate* non competere jus dispensandi *in legibus universalibus Ecclesiæ*, adeoque *in omnibus caussis dispensabilibus*, nisi quatenus eis hoc *a jure, consuetudine, vel delegatione* concessum est: præexistere in Rom. Pontifice hoc jus dispensandi *propria auctoritate* in jure primatus, adeoque reservari posse: hujus reservationis sufficientes dari caussas, quas allegat Thomassinus et supra Innocentius III, nihil obstare, quominus hæ reservationes sint perpetuæ. Denique etiam Rebuffus l. c. dum Episcopis jus dispensandi revocare vult, non ait, hoc jus illis *propria auctoritate* competere, sed vocat *pulchra privilegia, quæ jus canonicum eis tribuisset*, adeoque *a jure* concessa.

Ad 7. Nihil aut parum valet hìc auctoritas Gersonis, qui sibi nusquam cohæret : qui tamen supra in Papa *plenitudinem potestatis*, et *Dominum superioritatis supra totam Ecclesiam* admittit : qui hìc etiam potestatem dispensandi non episcopis asserit, sed iterum aliis conciliis generalibus, *quod solum illa* (statuta generalis concilii) ait, *debeant immutari per aliud concilium generale fiendum de tempore ad tempus propter reformationem Ecclesiæ*. Febronius ergo a Gersonio pro sua caussa nihil hìc habet præter criminationes et dicteria in Pontifices.

Ad 8. Hoc loco *de abusibus* in dispensando agitur, non *de potestate dispensandi*, vel dispensationes *reservandi* : abusus autem nec genuinum usum excludit, nec potestatem tollit. Interim abusibus utique concilia generalia modum posuerunt, sed non sine volente et adnitente Pontifice : concilio Tridentino præivit Paulus III cum suo consilio delectorum cardinalium et prælatorum, atque per hoc ipsi concilio quasi normam reformandi præscripsit.

Sed ais : hæc Romæ non servatur. At 1. Romæ nunquam dispensatur sine rationabili caussa, quæ etiam cum omni diligentia examinatur. 2. Supplicationes dispensationum ordinarie prius ad curiam episcopi diriguntur, et hinc Romam mittuntur, remittitque Bullam vel reseriptum Pontifex ad examen ordinarii, num preces veritate nitantur : per hanc cautelam potius ordinariis

incumbit invigilare, utpote qui melius necessitates et circumstantias suorum diœcesanorum dignoscere possunt, ne qua culpa in dispensationibus intercedat. 3. Si quæ obreptio vel subreptio obveniat, culpa utique penes impetrantem, non penes dispensantem erit, et ideo Romanæ curiæ abusus imputari non debet. De hoc etiam jam cavit Roma, dum Innocentius P. cap. *super litteris* statuit, ut taliter impetrantes *per fraudem vel malitiam in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis litteris commodum consequantur.* 4. Summus Pontifex præter eas, quæ in supplicatione exprimuntur, potest adhuc habere alias rationabiles caussas dispensandi, quanquam aliis ignotas, etsi illæ in supplicatione appositæ sufficientes non essent. Qui enim curat rempublicam et bonum commune, melius potest prospicere, quid in casu particulari utile, bonumve sit, quam quivis alius, qui in arcana reipublicæ penetrare non potest, nec occultas, quantumvis veras rationes rimari. *Multa ex loco*, ait Hildebertus Cenomanensis, *multa ex tempore, multa ex personis differentius fiunt. Rector Ecclesiæ nonnunquam aut dissimulabit, aut faciet, quæ accuset. Cum viderit malum schismatis imminere, canonum scita mutabit. Debet cessare censura, cum dissolvitur unitas, charitas læditur, pax vacillat.* Tom. IV, Spicileg. Dacherii pag. 250, non igitur semper abusus inclamandus, neque, prout Febronius facit, politiæ seculi, ambitioni

aut avaritiæ tribuendum, si caussa dispensandi lateat. Interim Pontifex in Bullis dispensationum ordinarie testatur, se motum fuisse ex rationabilibus caussis ad gratiam concedendam.

Tandem historia illa de Pio V, nequaquam valet ad probandum, dispensationibus a curia Romana nullum modum poni, easque in infinitum extendi, uti ait Febronius, sed prorsus contrarium demonstrat, nempe a Pontificibus non æstimari aurum et argentum, sed dispensationes concedi *ex caussa* et *gratis*, neque tam leviter audiri adulatores in commodum ærarii Pontificii loquentes, quales tamen etiam alibi non desunt, et fors faciliores obtinebunt aures.

Ad 9. Si Bonifacius VIII quæ indulgentius concessit, postea de veritate rei melius edoctus, revocavit : num hoc vituperio, vel laude potius dignum est? Pontifices in talibus concessionibus a petentibus circumveniri, atque utpote in re facti errare posse, nemo negat : sed ipsæ revocationes ostendunt, non esse *usum curiæ*, tales arbitrarias concessiones admittere vel ratas habere, sed sæpius in culpa esse impetrantes, et horum patronos sive in seculo, sive in Ecclesia potentes, qui cum importunitate postulant, vel potentibus recommendatiis eis suffragantur. Ipse Bonifacius VIII, suas et suorum prædecessorum concessiones factas *ambitiosæ importunitati petentium* adscribit. Profecto sæpe optima cum fide Romæ fit gratia, et in Germania peccatum committitur.

Ad 10. De privilegiis alibi recurret sermo, ubi responsionem dabimus.

§ VI.

Romano Pontifici ex natura et jure primatus non competit jus appellationum ex omnibus totius Ecclesiæ partibus.

Genuinus sensus Sardicensium canonum exponitur.

Assertores propriæ jurisdictionis Pontificiæ, verique Imperii in omnes Ecclesiæ provincias, magnum suæ sententiæ pondus collocant *in jure appellationis* eidem ex *omnibus* christiani orbis *partibus* competente, inter quos Benedictus XIV, in tract. de synod. Dioeces. l. 4, c. 5, n. 1, vult, *hoc jus adeo necessario connexum esse cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam jurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari.* At veretur Febronius, ne doctissimus Pontifex suam sententiam potius ex præconcepto monarchico, quam ex antiquis, verisque monumentis Ecclesiarum deprompserit. Justinianus Imperat. novell. 123, omnes judiciorum ecclesiasticorum instantias recensens, ne verbum de Rom. Pontificis judicio memorat, et dum in fine ad instantiam *patriarchæ* pervenit, addit, *nulla parte ejus sententiæ contradicere valente*, quod manifeste a serie *ordinariarum* instantiarum Papam excludit. Con-

cilium Lugdunense II præcipit, episcopos metropolitani et comprovincialium episcoporum judicio contentos esse, pœna etiam in contravenientes statuta, ut trium mensium spatio a fratrum charitate sequestrentur.

In capitulis Ingilrami, Metensis episcopi, statuitur, juxta Nicæna, sive Africana decreta, negotia in suis locis, ubi orta fuerint, finienda esse, atque ad concilium suæ provinciæ vel universale provocari posse. Concilium Francofurtanum statuit, ut caussæ diœcesanorum ab episcopis judicentur, ab his ad metropolitanum cum suis suffraganeis, tandem ad Imperatorem deferantur ad cognoscendam veritatem rei. Hincmarus Rhemensis ad Nicolaum I scripsit, se privilegium primæ et summæ sedis non sic parvi pendere, ut omnes controversias, quæ decreta conciliorum et Rom. Pontificum præcipiunt in synodis provincialibus terminari, *ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducat.* Hæc sufficient, et perpetuo sufficissent ad excludendas appellationes Romanas, nisi Isidorianis decretis tanta Ecclesiæ et traditionis monumenta obscurata et quodammodo convulsa fuissent.

Quia jus appellationum Romanarum præcipuum fundamentum trahit *a synodo Sardicensi*, hujus mente accuratius inspecta, patebit, *adjectitium esse privilegium*, originarie et ex natura primatui apostolico non competens, nec indolem genuinæ appellationis habens, proin prætensum

primatum jurisdictionis destruens potius, quam sustinens. Can. 3 et 5, concilii Sardicens. Præeunte Hosio Hispano, patribus placuit, ut provincialis synodi judicium renovari queat, si videatur Præsuli Romano, non quidem ut causa Romæ judicetur, sed tantum ut ibidem inquiratur, num causa talis sit, quæ novum examen desideret, quo casu concedunt Papæ Patres concilii, ut, præter priores judices, episcopos provinciæ, ex finitimis provinciis cognitores tribuat ad causam denuo examinandam, atque si velit, etiam ad hoc posterius judicium legatos de latere mittere possit. Quod si vero causa non videatur amplius examinanda, firmum maneat provinciæ judicium. Hanc propositionem Gaudentius episcopus addidit, probantibus Patribus, interim dum Romæ deliberatur, in locum depositi episcopi nullum substituendum esse.

Ex his hanc veritatem pullulant. 1. Novum quid et ante inauditum, quam quod conciliis Niceno et Antiocheno definitum fuit, hic introduci. 2. Non concedi simpliciter provocationem ad Papam, aut potestatem definitive judicandi, sed tantum quamdam declarandæ revisionis auctoritatem ipsi tribui.

1. Primum patet ex verbis Osii : *si vestræ dilectioni videtur, Petri memoriam honoremus.* Nempe cupit hunc honorem Rom. Pontifici deferri, non huic aliquod jus præexistens *conservari.* Dein, *si vestræ dilectioni videtur*, hæc verba ad Petri primatum referri non possunt, qui a synodi ar-

bitrio minime dependebat, proinde necessario ad separatum aliquod privilegium a Patribus concedendum spectant. Hæc propositio Osii adeo nova fuit, ut etiam Gaudentius ei aliquid adjiciendum censuerit : *necesse est, adjici huic sententiæ*, ait, *quam sincera dilectione plenam protulisti, ut si quis episcopus fuerit depositus etc. Id novam hanc disciplinam* motus est Osius per judicia ab orientalibus, Ariana lue infectis, in Athanasium et Marcellum lata, quia similia aliis merito timebantur, ut episcopis injuste damnatis aliquis purgationis locus relinqueretur; hinc optime visum est, si cui a concilio facultas daretur dignoscendi, *utrum, et quando renovationi judicii locus esse debeat, vel non?* hoc munere nemo magis honorandus videbatur, quam Rom. episcopus, Petri primatum obtinens.

2. Est autem hæc tantum *præliminaris cujusdam cognitionis* delatio. Nam facultas judicandi caussas appellationum de episcopis a synodo provinciali damnatis Rom. Pontifici minime attributum fuit. Quippe juxta can. 3, episcopus *damnatus se bonam caussam habere putans*, illud unum sperare potest, *ut iterum concilium renovetur*. Huic judicio revisorio eosdem episcopos provinciæ, qui primitus judicaverant, iterum intervenire observavit Hincmarus epist. ad Joan. PP. VIII, cap. 9. Papa tantum cognoscit, num æquum sit judicium renovari : si hoc existimaverit, non ipse judicat caussam, *sed dat judices*. Can. 3.

Judices dati neque Romani sunt, neque Romæ judicant, sed tunc Pontifex *scribere dignetur his episcopis, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia* (in provincia) *requirant, et juxta veritatis fidem definiant.* Can. 5. Ad summum ipsi conceditur facultas mittendi legatos ad secundum judicium. can. 5. In præliminari suo judicio Papa non inquirit *de internis meritis causæ*, num bene vel male judicatum fuerit, sed *utrum causa talis sit, ut iterum sub incudem revocari debeat.* Neque confirmat judicium provincialis synodi, rescindendo appellationem, sed tantum, *si probaverit, talem caussam esse, ut non refricentur quæ dicta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* Can. 3. Ergo Papa non dignoscit, utrum damnatus sit nocens, nec ne, sed utrum servata sit forma judicii, caussa satis examinata? an sententia per vim extorta? an ex odio vel gratia profecta? sic Pontifex latum in provincia judicium non infirmat, sed novum examen, et aliud judicium indicit. Norunt omnes, quantum sit discrimen *inter medium talis revisionis, et jus admittendæ appellationis*, quippe posterius integram caussæ cognitionem transfert ad judicem superiorem, ut litem in suo tribunali excutiat et definiat. Denique veræ appellationis ordinarius effectus est, ut vim sententiæ suspendat; nostra species provocationis non suspendit prius judicium, manet enim *depositus episcopus*, et decreta a Papa revisione, ex Gaudentii sen-

tentia concilium tantum probavit, ut *nullus interim in ejus locum ordinetur.*

3. Valde impropria *appellandi* voce utitur canon 5; accuratior est textus græcus, qui *veluti appellantem* dicit episcopum in provincia condemnatum. Hinc videntur præsules istud *veræ* appellationis nomine non esse dignati, quod aliis verbis sæpius exprimunt, *renovare examen, renovare judicium, refricare, quæ acta sunt, confugere ad episcopum Romanum, caussam iterum audiri.* Dum Osius can. 7, ait, *si appellaverit*, non addit, *ad Romanum episcopum*, sed subauditum vult potius, *aliud judicium;* subjicit enim statim, *et confugerit ad Romanum episcopum.* Inde tamen evenit, ut sequens ætas existimaverit, his canonibus agi de *vera appellatione,* uti observat Petrus de Marca de concord. sacerd. et Imp. l. 3, c. 3, n. 6.

4. Hunc recursum ad Rom. Pontificem non habere *effectum suspensivum*, palmare exemplum habemus in caussa Hincmari Laudunensis anno 865, ubi episcopi provinciæ Rhemensis Hadriano II Papæ scribunt, ut si ei visum fuerit, renovare judicium, juxta canones Sardicenses det judices ex finitimis provinciis, vel etiam legatos a latere suo, qui cum episcopis judicent, *eo in gradu adhuc non restituto.*

5. Nova hæc judiciorum forma non placuit Afris, qui a synodo sua Carthaginensi ad Cœlestinum P. scripserunt, ut appellationes inferiorum

clericorum repellat, et etiam de latere suo mittat ad caussam appellantium episcoporum cognoscendam, quia *decreta Nicæna episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt, et quævis negotia in suis locis, ubi orta, finienda sunt,* dum *unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilium suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.* Per *universale* intelligitur omnium totius Africæ episcoporum. Iidem ad Bonifacium I, P. anno 419, scripserunt, ut ea, quæ apud Nicæam a Patribus constituta sunt, citantes can. 7, concilii Sardicensis, ab iis faciat custodiri et exerceri, nisi forte aliter habeant canones Nicæni, donec authentica hujus concilii exemplaria afferantur. Confer. concil. Milevit. can. 22 et cod. can. Afric. a cap. 135 usque 138.

6. Infaustæ Isidori decretales appellationes sedi apostolicæ in quacunque levissimi momenti caussa, in quovis loco emanata, et in prima instantia concedunt. His impense faverunt summi Pontifices Gregorius IV, Leo IV, Sergius, Nicolaus I, aliique. Nec mirum, utpote quæ Romani Pontificis potestatem ultra modum eveherent, depressa tanto magis cæterorum episcoporum potestate. His pro posse restiterunt Galliæ Germaniæque episcopi sub imperio Caroli M., Ludovici Pii, et Caroli Calvi, præcipue Hincmarus Rhemensis; ast prævaluit ambitiosum jus novarum decretalium, de quo etiam tempore concilii Constantiensis gravissimæ fuerunt Gallorum, Germanorum, Hispanorum et Anglorum querelæ.

NOTA.

Quantumcunque hactenus vel speciose aut ingeniose dicta videntur, hæc ad quæstionem propositam ut plurimum necquidquam pertinent, atque Febronius ea non primitus ex propria penu hausit, sed antesignanos habuit Eliam Dupinium *Tract. de antiq. eccles. discipl. dissert.* 2. Paschasium Quesnellum *in Leone* anonymum Parisiens. *de antiq. et major. episcop. caus.* Petrum de Marca *lib* 7, *de C. S. et I, c.* 3, quos diligentissime exscripsit. At priores duos novimus, quales, quantive sint? de Petro de Marca sufficeret dicere, cum omnia retractasse, quæ *de jurisdictione et immunitate ecclesiastica, cæterisque rebus et caussis ecclesiasticis Romanæ Ecclesiæ doctrinæ contraria scripsit.* Atque quod liber ille septimus nequeat dici partus Petri de Marca, utpote qui, teste Fageto Cognato ejus, quatuor tantum libros exaravit, et alii quatuor a Stephano Balluzio sub eodem titulo et nomine assuti fuerunt. Interim hos omnes, si argumenta spectes, cum Febronio et suis interpretationibus jam strenue refutavit Christianus Lupus, tom. VIII, c. 26, de appellat. ad sed. Rom. Huic jungo, præter Emanuelem Schelstrate, Baronium, Bellarminum, aliosque maximi nominis viros, adhuc Febronio neque suspectos, neque præjudicatos, Ludovicum Maimbourgum, et maxime Natalem Alexandrum, hunc *dissert.* 28 *ad secul.* IV, illum *tract. de judicio in caus. episcop.*

Ast non prævalet solum jus appellandi ad Rom. Pontificem auctoritate scriptorum, sed et testimoniis, atque traditione veteris Ecclesiæ, sive quæstionem juris, sive facti spectamus, quantumcunque Febronius cum suis hoc jus relevare contendat, quod certo certius ad primatum reduci debet. Juvat igitur eisdem ad suas argutias directe respondere.

Imprimis Febronius suggillat Benedictum XIV, longe doctissimum Pontificem, quasi ex præjudicio monarchiæ scripserit, non veris, antiquisque monumentis innixus. Major est hujus Pontificis inter eruditos auctoritas, quam ut ad frivolam solius Febronii crisin eidem hanc labem impingere liceat. Attamen omnino falsum est, præclarum hunc Pontificem proprio et qualicunque suo judicio hanc sententiam edixisse; quippe antequam concludit, jus appellationum necessario cum primatu Rom. Pontificis esse connexum, allegat prædictus Papa epistolam Gelasii P. ad episcopos Dardaniæ, anno 495, *cuncta per mundum novit Ecclesia — — siquidem ad illam* (sedem Petri) *de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Allegat quoque Nicolaum I, epist 8, ad Michaël. Imp. Citat dein Stephanum Tornacensem epist. 162, Bernardum epist. 198; non igitur Benedictus XIV, suam sententiam ex proprio præjudicato judicio hausit, sed a Gelasio I, num hoc monumentum haud verum, non antiquum est?

habet ergo hic traditionem claram, veram et antiquam quinti seculi auctore non obscuro, sed clarissimo, cui omnis retro ætas semper plurimum detulit. Sed nec Gelasius hanc doctrinam primus conflavit, nec suo tempore nova fuit, sed ipse eam traditione Ecclesiæ communi accepit, ad quam provocat: *cuncta per mundum novit Ecclesia.* Sunt igitur hæc vera et antiqua Ecclesiæ monumenta.

Exin Febronius nos ad Justinianum et Carolum M. Imperatores ablegat. An vero formam judiciorum ecclesiasticorum a secularibus principibus recipere vel ediscere debemus? an Ecclesia non habet propriam jurisdictionem, nec ei supersunt genuina monumenta ad comprobanda sua judicia? hæccine est traditio, usus, praxis veteris Ecclesiæ? hæc *vera et antiqua monumenta,* quæ nobis semper oggeris, dum ad aliena ab Ecclesia et secularia testimonia refugis? nempe conditiones, quas aliis præscribis, semperque objectas, nec tu minimum curas. Interim neque ista te quidquam juvant. Testimonium Justiniani argumentum conficit *mere negativum*, ex silentio hujus Imperatoris deductum. Argumentum autem mere negativum nihil valet, dum alia testimonia asserentia et loquentia supersunt. Justinianus quippe de solis ordinariis instantiis intra patriarchatum Constantinopolitanum loquitur, non de tribunali universali totius Ecclesiæ, utpote quod non excludit, secus nec ad concilium generale refugium pa-

teret, vel ab eo causa ecclesiastica judicari posset, quia neque de hoc mentionem facit. Si Justinianus in Rom. Pontifice nullam instantiam et jus appellationum recognoscit, quare cod. l. 1, tit. 1, l. 7, ait : *ad sedem apostolicam referendum esse, quidquid ad Ecclesiæ statum pertinet.* Cujus relationis hanc rationem affert, *quia caput est omnium sanctarum ecclesiarum?* cur idem Imperator, dum Agapetus Papa Anthimum patriarcham Constantinop. deposuit, constit. 24, hanc Rom. Pontificis *sententiam per se satis valentem* vocat?

Pariter ex concilio Francofordiensi et capitularibus Caroli M. Febronius nihil omnino pro se conficit, imo se ipsum profligat. Capitula Ingilrami tanquam *Isidoriana*, c. 4, § 8, n. 6, de caus. maj. explodit, atque auctoritate exuit; nunc autem eadem rursus contra nos in argumentum assumit. Concilium Francofordiense. 1. Meminit, episcopos *apostolica auctoritate* et jussione Imperatoris convenisse. Igitur nec istud concilium sine licentia *apostolicæ sedis* celebratum fuit. Nec obstat, etiam jussionem Imperatoris addi, quippe in hoc concilio etiam leges civiles statutæ sunt. 2. Orta contentione de diœcesanis et metropolitanis, causa remissa fuit ad Rom. Pontificem : igitur causæ episcoporum in ultima instantia, et præcipue designatio diœcesium ad illum pertinere censebantur. 3. Carolus Imp. proposuit, se habere dispensationem ab Hadriano P., ut Hildebaldus episcopus assidue in aula sua versaretur propter utilitates eccle-

siasticas. Hæc omnia contra systema Febronii pugnant. 4. In hoc concilio circa formam judiciorum dicitur, *statutum est a Domino Rege et S. synodo.* Item : *Comites quoque nostri veniant ad judicium episcoporum :* et tandem, *si episcopus metropolitanus cum suffraganeis suis non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato cum litteris metropolitani, ut sciamus veritatem rei.* Num hæc admittit Febronius? anne hæc veteri traditioni, sacris canonibus et praxi Ecclesiæ consentanea sunt, ut princeps secularis jurisdictionem vere ecclesiasticam exerceat, judicia ecclesiastica determinet, ipse per se vel suos comites cum episcopis in synodo judicet, et denique a synodo provinciali appellatio et ultima instantia, quam Febronius Rom. Pontifici denegat, ad Imperatorem pertineat? certe concilium Francofordiense nequaquam ad rem est; ibi quippe sermo est de quacunque caussa et negotio etiam civili, in qua episcopo permittitur judicare, et hinc ad tale judicium comites Imperatoris etiam vocantur, et huic ultima instantia reservatur. Videatur Ignatii Schmidt histor. German. part. 1, l. 3, c. 13. Sic Carolus M. lib. 6, c. 366, etiam decernit : *quicunque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur sive cum jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi*

alia pars refragatur, ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. —— Omnes itaque caussæ, quæ vel prætorio jure, vel civili tractantur, episcoporum sententiis terminatæ perpetuæ stabilitatis jure firmentur.

Ulterius si in capitulis Ingilrami, concilio Lugdunensi II, vel alia quavis synodo particulari secundum veteris disciplinæ normam, etiam pœnas ad hoc statuta, ordinatur, ut causæ episcoporum, ubi ortæ fuerint, finiantur, neque judicium synodi provincialis, illud declinando contemnant, sed ad hanc deferantur, num per hoc excluditur appellatio ad sedem Romanam, si episcopus accusatus sententia metropolitani vel provincialis synodi se gravatum sentiat? concilium Sardicense utique idipsum ordinat, et tamen ideo appellationem Romanam non excludit, sedpotius confirmat.

Sed nec Hincmarus pondus adjicit Febronio; quippe Hincmarus loquitur *de omnibus* caussis *tam inferioris quam superioris ordinis*, nos de caussis episcoporum. Dein Hincmarus non negat, sed potius asserit et recognoscit *privilegium primæ et summæ sedis*, ut caussæ ad hanc deducantur. Epistola vero ad Nicolaum I, apud Flodoardum l. 64, fatetur, quod *judicato in aliqua caussa episcopo liceat iteraro judicium, et si necesse fuerit, libere adire Romanum episcopum.* Hæc igitur omnia nequaquam sufficiunt ad excludendas appellationes Romanas, sed ad has vel impertinen-

ter se habent, vel eas omnino approbant. Jam

Ad 1. Propositionem, quod concilium Sardicense novum quid et ante insuetum introduxerit, respondendum est. Appellationes in primitiva Ecclesia et primis quinque seculis tam ex oriente, quam occidente ad sedem apostolicam factas fuisse, præsertim in gravioribus caussis, exempla vetustissima demonstrant. Imprimis Marcion, a suo episcopo et proprio genitore ob stuprum excommunicatus, ad sedem Romanam appellavit. Obstrepit huic exemplo Samuel Basnage annal. polit. Eccles. ad ann. 131, nempe exstitisse interpontificium, de rescindenda episcopi Synopensis sententia nec verbum fuisse motum, *aliud esse, abrogare judicis inferioris decretum, aliud orantem dignari eucharistia.* At inanissimæ hæ nugæ sunt. Si Marcion petivit, se Romanæ Ecclesiæ eucharistia et communione dignari, utique implicite petivit, ut Synopensis episcopi sententia aut nulla agnosceretur, aut abrogaretur. Noverat enim, quod nemo communionis et eucharistiæ particeps esse posset, nisi prius absolutus, vel sententia excommunicationis irrita declarata fuisset. Sed urget Basnage. *Expresse negat Ecclesia Romana sibi id juris competere invito Synopensi episcopo, — — eum communioni ut restitueret. Nobis*, inquit, *injussu venerandi patris tui id non licet.* Bene : sed clerus Romanus, sede vacante, et sine Papa, in talibus caussis non est summus judex ; *sed exspectasset Marcion*, ait Natalis Alexander, *Hygino succes-*

sorem dari, cui appellationis libellum offerret. Interim certum est, Marcionem Romam appellasse. Fortunatus et Felix episcopi in Africa a S. Cypriano depositi, teste eodem Cypriano, lib. 1, epist. 3. ad Cornelium P. appellarunt. Ex ejusdem epistola 68 constat, quod Basilides episcopus in Hispania depositus ad Stephanum P. appellaverit. Nec obstat, Stephanum in hac caussa errore facti deceptum fuisse, nihilominus inde elucet antiquissimus sensus et usus Ecclesiæ ex remotissimis orbis partibus provocandi ad Rom. Pontificem, ut notat Baronius ad ann. 258, n. 2.

Asclepas, episcopus Gazensis in Palæstina, inauditus depositus ad Julium P. appellavit, et per eum sedi suæ restitutus est. Athanas. lib. de synod. Nota est appellatio Athanasii ad præfatum Julium P., de qua inferius plura. Hæc autem ante concilium Sardicense jam contigerunt. Plura adhuc vetustissima appellationum et maxime relationum exempla possent adferri, quæ ad judicium apostolicæ sedis delata sunt, de quibus videri possunt Natalis Alexander loc. cit. et Christianus Lupus tract. de appellat. Qua fronte igitur audet sustinere Febronius, in concilio Sardicensi per appellationes ad sedem Romanam *quid novi et ante insuetum* introductum fuisse?

Neque Febronio quidquam proficiunt inania glossemata et interpretationes in canones concilii Sardicensis. Nempe ex eo, quod Osius dixit, *Petri memoriam honoremus*, adversarii arguunt, Rom.

Pontifici *solum honorem* deferri, non aliquod jus tribui, vel conservari. Sed sciat Febronius, *hunc honorem* et reverentiam non esse *meri arbitrii* et *ad placitum*, sed veræ *obligationis*, quatenus ipsum jus recipiendarum appellationum concernit. Ita enim Innocentius I, epist. ad Victric. Rothomag. de his caussis ait, nulli licere, relicto concilio provinciali, ad alia confugere judicia, *sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cujuscui in omnibus caussis debet reverentia custodiri.* Hæc aperte *jus* aliquod loquuntur, et *reverentia*, cujus omissio in *præjudicium* cedit, quæque *debet* custodiri, non est meri arbitrii et ad placitum. Nec etiam ex verbis, *si vestræ dilectioni videtur*, apte eruitur, hæc solum ad beneplacitum concilii referri. Quippe hìc non erat quæstio de jure Rom. episcopi circa appellationes recipiendas : neque enim hoc jus ignorabant Patres Sardicenses, utpote cum ipsis notissimum erat, jam antehac ad sedem apostolicam, et novissime ab Athanasio et aliis episcopis, ab Eusebianis depositis, illuc appellatum fuisse, quam appellationem, et in hac caussa sedis Romanæ judicium Patres actu in manibus habebant, nihil tamen obstrepebant, neque tanquam *novum aliquid* arguebant, sed omnino reverebantur, et executioni dabant. Quæstio igitur solum erat de usu hujus juris, ut bene notat Bellarminus, utrum nempe hac potestate uti expediret ubique locorum, non absque caussa dubitabatur? præsertim quia ex promiscua et fre-

quenti appellatione facile contingere posset, ut multi effugerent legitima judicia, et hinc orirentur incommoda, de quibus SS. Cyprianus et Bernardus conqueruntur : concilium Sardicense, consentientibus legatis et summo Pontifice, declaravit expedire, ut ordinarie presbyteris et inferioribus clericis concedatur appellatio ab episcopo ad concilium provinciale, episcopi autem jure appellandi ad Rom. Pontificem uti possent. Utique insulsum fuisset, Rom. Pontifici privilegium aliquod et jus *de novo* concedere, quod antehac jam in facie totius Ecclesiæ exercuit, et de quo alii publice et cum effectu participaverunt, atque nihilominus hæc ante acta a tota Ecclesia tanquam justa et legitima habita, tanquam prius talia non fuissent, in futurum de novo tribuere.

Ad 2. Quænam insederit mens Patribus Sardicensibus, ex ipso concilio magis dignoscitur, atque ex canone IV satis apparet, ubi statuitur. *Cum aliquis episcopus depositus fuerit, eorum episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit in judicio episcopi Romani determinata.* Hìc notandum meretur. 1. Quod hæc non Osius occidentalis, de quo Febronius dicit, *quod caussam sociorum Athanasii in occidentem trahere avebat*, sed Gaudentius ab Achaia de Naiso proposuit. 2. Hæc provocatio ad

sedem Romanam aperte vocatur *appellatio*. 3. Episcopus *appellans* non amplius simpliciter dicitur depositus, sed *qui videtur esse depositus*. 4. Negotium dicitur *agendum in urbe Roma*, et *caussa in judicio episcopi Romani determinanda*. Igitur solus Papa est proprie appellationum judex, hæque in ejus tribunali Romano et judicio terminari debent. Equidem intercedit Dupinius, quem etiam sequitur Febronius tom. II, pag. 55, et alibi, nempe illa verba, *nisi caussa fuerit in judicio episcopi Romani determinata*, non significare, *caussam a Romano Pontifice judicandam, sed tantum ab eo determinandum, utrum sit locus novo examini et judicio*. Quam lepide et contra sanum sensum verborum! utique ipsa *caussa* dicitur *determinata*, et quidem *in judicio Rom. Pontificis*, non *locus* aut *novum examen* et aliud judicium *determinatum*. Dein alius episcopus tamdiu in locum depositi non potuit ordinari, quamdiu ejus caussa ultimo judicata et terminata non fuit : si igitur *post judicium episcopi Romani* alius potuit ordinari, utique caussa in hoc judicio terminum accepit : hæc omnia ex verbis canonis satis clara sunt.

Hinc frivola omnino et gratis conficta est illa, quam Febronius pro sua dictatoria auctoritate interponit, interpretatio. Num ex eo, quod dicatur, *renovandum esse examen, judicium*, sequitur, non esse veram appellationem, et Papam non proprie judicare? dein illi episcopi provinciæ,

qui primitus judicarunt, juxta clarum tenorem canonis 3 et 7 in secundo judicio non amplius judicant, prout prætendit Febronius. Quippe can. 3, dicitur : *si* Rom. episcopus *judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, et det judices.* Ergo, *post præliminarem causæ cognitionem* ipse adhuc *dat judices*, et quos? id can. 5, clare exprimitur : *scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnino requirant, et juxta fidem veritatis definiant.* Rursum si velit Pontifex, *legatos a latere* mittere potest, *habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt.* Unde ex verbis concilii clarum est, ne quidem, qui primitus judicarunt episcopi, in altero judicio intervenire debere, et non alios esse judices, quam quos Pontifex dederit, et hos non aliter, quam ex ejus commissione et auctoritate judicare, utpote ad quos alias causa omnino non pertineret, ideoque juxta can. 4, *causam in judicio Romani episcopi* vere *determinari.* Ad summum ergo ex concilio Sardicensi erui posset, causam *in provincia* judicandam esse. Attamen can. 4, admittere videtur, *negotium etiam in urbe Roma agendum esse.* Attamen causa post appellationem non nisi auctoritate Rom. Pontificis ubicunque tractanda erit.

Ad 3. Quid? Patres recursum ad Rom. Pontificem non sunt dignati *veræ appellationis* nomine? et tamen bis distincte can. 4 et 5, dicitur, *post appellationem, si appellaverit.* Mox

supra ostendi, post appellationem totam causam ad Rom. Episcopi judicium referri, ipse dat judices, quos ex finitimis provinciis nominat, vel etiam a latere mittit, vel negotium juxta can. 4, Romæ agitur, hinc *renovare examen*, *renovare judicium*, *causam iterum audiri*, nihil aliud significat, quam *post appellationem* causam ad tribunal Romani Pontificis deferri, et ab eo, sive per se, sive per alios suo nomine et auctoritate judicari, omnesque aliæ horum verborum interpretationes violentæ et commentitiæ sunt. Febronius quidem ait, accuratiorem esse textum græcum, qui pro *si appellaverit*, habet *si veluti appellaverit*. Sed quem vadem præbet hujus interpretationis? nullum profecto. Dupinius in hac parte sincerior est, interpellat Græcam fidem Achæi interpretis. Sed num in hoc solo stabit omne verbum, et credamus, hujus unius viri lectionem genuinam, et omnibus et præcipue ei, quam jam ultra 12 secula tenemus, atque tanto temporis usu probata fuit, accuratiorem esse. Quid de aliis verbis *post appellationem*? nihil de his Achæus.

Porro sensus et mens Patrum Sardicensium non a privatis et novissimis vitilitigatoribus, qui quævis pro libitu suo fingunt et audent, sed ex usu et praxi, quam mox post concilium Ecclesia tenuit, desumi debet. Superius ostendimus, jam ante hoc concilium, et primis tribus seculis ad Rom. Pontificem appellatum fuisse, ideoque *quoad*

jus hoc *nihil novi* in ista synodo statutum fuisse. Jam tempora subsequentia inspiciamus.

Eustatius Sebastenus in synodo Melitina damnatus ad Liberium P. appellavit, atque ab eo absolutus et restitutus est, teste S. Basilio epist. 74. Coelestius in concilio Carthaginensi damnatus *ab Africanorum sententia ad Romani episcopi examen appellandum esse credidit*, ait Marius Mercator, auctor coevus. Joannes Chrysostomus in concilio multorum episcoporum depositus ad Innocentium I appellavit. Helladius Tarsensis et Euterius Tianensis in concilio Ephesino damnati ad Sixtum III appellaverunt epist. Euter. ad Alexand. Hieropol. Flavianus ad Leonem P. appellavit, imo et Eutyches a concilio Constantinop. ad eundem. epist. Leon. 20, ad Flavian. et 23 ad Theodos. pariter Theodoretus Cyren. ad S. Leonem appellavit epist. Leon. 52, idem S. Leo recepit appellationem Chelidonii episcopi Viennens. Joannes patriarcha Alexand. a Petro Mongo et Achatio Constantinop. depositus ad S. Simplicium *Romanum Pontificem appellavit*, *sicut fecit S. Athanasius*, uti narrat Liberius archidiaconus Carthag. Solonii et Sagitarii appellationes recepit Joannes P. III, Gregorius M. pariter multas appellationes episcoporum recepit lib 2, epist. 72, 75, lib. 5, epist. lib. 7, epist. 32. Idem sacra communione privavit Joannem episcopum Graecum primae Justinianae, quod judicasset Thebanum episcopum, postquam hic ad sedem Romanam

appellaverat. Atque in his appellationibus Romani Pontifices non tantum *prœliminarem caussæ cognitionem* susceperunt, sed ipsi propria auctoritate, atque ut plurimum Romæ caussam finaliter judicarunt. Quæ contra aliqua exempla objicit Febronius, infra videbimus.

His exemplis addo effata et testimonia priscorum Rom. Pontificum, quibus magis, clariusque patescet, quæ circa appellationes Romanas traditio, praxis, sensusque in Ecclesia fuerit.

Julius I, PP. anno 342, jam ante concilium Sardicense ad Patres concilii Antiocheni scripsit: *sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium, ita et hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, prima et caput sit cæterarum, et ad eam quasi apicem omnes majores Ecclesiæ caussæ, et judicia episcoporum recurrant, ejusque justa terminum sumant sententia.*

Marcellus Ancyranus in Gallatia episcopus a quibusdam accusatus, non in concilio provinciali, sed Romæ caussam agendam esse censuit ad Julium Papam appellans, et cum accusatores non venirent, ibi se purgavit. Sic enim scribit in epist. ad Julium P. *propterea mihi necessario Romam veniendum, et te commonendum putavi, quo eos, qui contra me scripserunt, accerseres, ut cum advenissent, de duobus a me convincerentur, et illa scilicet falsa esse, quæ in me scripserunt, et eos adhuc in pristino errore perseverare. Sed cum illi venire noluerint, tametsi presbyteros ad eos miseris,*

necessarium duxi, antequam hinc proficiscerer, fidei meæ professionem tibi tradere.

Damasus epist. ad Stephan. archi- et episcopos Afric. *definire earum, atque ecclesiasticarum summas querelas caussarum, vel damnare episcopos absque hujus sanctæ sedis auctoritate minime licet, quam omnes appellare, si necesse fuerit, et ejus fulciri auxiliis oportet.* Et infra : *patenter enim et his et aliis innumerabilibus decretorum testimoniis, omnibus manifestum est, non deberi episcopum damnari, licet ejus prescrutetur opinio, donec judicium de eo nostræ apostolicæ auctoritatis, hoc est, principis apostolorum Petri cognoscatur.* En traditionem tempore Damasi jam innumerabilibus testimoniis firmatam!

Leo I, epist. 68, modo 10, ad episcop. Viennens. *nobiscum vestra fraternitas recognoscat, apostolicam sedem pro sui reverentia — — esse consultam, et per diversarum quemadmodum etiam vetus consuetudo poscebat, appellationem caussarum aut retractata, aut firmata fuisse judicia.*

Gelasius P. epist. ad Faust. *nobis opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur. — — Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluêre deferri, ab ipsa vero nusquam appellari sanxerunt.*

Vigilius P. epist. ad Euter. c. 7, *unde omnium apellantium apostolicam sedem episcoporum judicia, et cunctarum majorum negotia caussarum eidem sanctæ sedi reservata esse liquet. — — Cu-*

jus tramiti si quis obviare tentaverit sacerdotum, causas se, non sine honoris sui periculo, apud eandem sedem sanctam noverit redditurum.

Præter alia, quæ adhuc facile addi possent, finem claudat synodus Alexandrina, quindecim annis post Sardicensem celebrata, cui etiam interfuit S. Athanasius, ubi Patres congregati ad Felicem. P., qui post Liberium Ecclesiæ præfuit, hæc scribunt : *Ideo, Pater Beatissime, quia semper antecessores nostri, et nos a vestra sancta apostolica sede auxilium hausimus, et nostri vos curam habere agnovimus, præfatam apostolicam et summam expetimus juxta canonum decreta sedem, ut inde auxilium capiamus, unde decessores nostri ordinationes et dogmata, atque sublevationes ceperunt. — — Nam scimus in Nicæna magna synodo* 318, *episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere, absque Romani Pontificis sententia, concilia celebrari, nec episcopos damnari. — — Similiter et a supradictis Patribus est definitum consonanter, ut si quisquam episcoporum aut metropolitanum aut comprovinciales, vel judices suspectos habuerit, vestram sanctam Romanam interpellat sedem. — — Nam fuit semper vestræ sanctæ et apostolicæ sedi licentia, injuste damnatos, vel excommunicatos potestative sua auctoritate restituere, et sua eis omnia reddere : et illos, qui eos condemnaverunt, apostolico punire privilegio, sicut etiam nostris et anterioribus cognovimus actum temporibus.*

Ex his notatu digna sunt. 1. Patres Alexandrinos ut plurimum etiam in Sardicensi concilio fuisse præsentes, eidemque coævos, ideoque ipsis quam maxime notam fuisse mentem hujus concilii. 2. Eos adhuc ulterius ad magnam synodum Nicænam 318 episcoporum, imo ad decessores suos et anteriora concilio Nicæno tempora provocare, unde sequitur, concilium Sardicense nihil innovasse, et hanc jam anteriorem fuisse praxin in Ecclesia circa appellationes ad Romanam sedem et judicia episcoporum. Neque obstat, talem canonem in Nicæna synodo modo non amplius legi. Nam plures a Patribus Nicænis, quam Ruffinus presbyter recenset, canones conditos fuisse, nemo inficias ibit, qui SS. Hieronymum, Ambrosium, aliosque antiquos Patres non esse mendacii arguendos judicat, apud quos de aliis permultis in synodo statutis et canonibus non infrequens mentio habetur. Vide Athanas. L. de synod. Epiphan. hæresi 70, Ambros. lib. 10, epist. 83, item epist. 82. Euseb. in vit. Constantini lib. 3, Augustin. epist. 110. 3. Neque a concilio Nicæno et alio quocunque Romanum Pontificem primitus accepisse hoc appellationis privilegium, patet itidem ex verbis concilii Alexandrini, dum ex una parte testatur de hac praxi anteriorum temporum, simulque ait, *hanc apostolicæ semper fuisse licentiam*. Certe si cum concilio Sardicensi, vel etiam Nicæno cœpisset, non *semper* fuisset ea licentia, et anteriora tempora atque

decessores horum Patrum certe se ultra concilium Nicænum extendunt, quippe hoc celebratum fuit anno 325, hoc Alexandrinum vero anno 362, pariter nihil refert, quod Gelasius et alii Pontifices pro hoc jure se quandoque referant *ad canones*. Nam, ut patet, illud præprimis *ad apostolicæ sedis auctoritatem et privilegium* referunt, contra ignaros vero et dubitantes apte etiam allegant canones, ut iis ostendant, hoc Petri privilegium a tota Ecclesia esse agnitum atque consensu firmatum, neutiquam vero sequitur, ideo *de novo* esse attributum vel concessum, quod nullibi dicunt Pontifices; multa enim canonibus præscribuntur, quæ jam aliunde vel antea valorem aut vim legis habebant.

Ex his omnibus manifestum est, quam falso et imprudenter Febronius cum suis sustineat, appellationes ad sedem Romanam a concilio Sardicensi ortum habere, non esse *veras* appellationes, neque a Papa *proprie* judicari, cum pro his appellationibus talia, tantaque sint argumenta et testimonia, ut recte arbitrante Baronio, nulla de his vel levis dubitatio reliqua esse possit, trahique necesse sit summa potentia veritatis in consensum non dubitantes tantum, sed ipsos etiam obstinatos et refractarios.

Ad 4. Febronius ait, appellationes ad Romanam sedem non habere *effectum suspensivum*, adeoque non esse veras appellationes. Quæso! quem effectum habuit secundum Ecclesiæ praxin

appellatio presbyteri vel clerici a suo episcopo depositi, et ad metropolitanum, vel concilium provinciale appellantis? exemplum refractarii Hincmari Rhemensis haud sufficit, nec tantæ auctoritatis est. Quales effectus produxerit appellatio ad sedem Romanam, discimus imprimis ex ipso concilio Sardicensi can. 4, ut *nullus* in appellantis *cathedram alius episcopus ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata.* Item ibi episcopus non dicitur *simpliciter depositus*, sed *qui videtur esse depositus.* Joannes Chrysostomus in synodo ad Quercum, et postea in synodo Contantinop. depositus fuit: appellavit ad Papam Innocentium I, ille quidem caussam non statim ad se traxit, sed ad aliud concilium examinandam remissit. Attamen quem effectum habuit hæc appellatio? nempe hunc, ut Innocentius juberet, ante omnia Chrysostomum in integrum restitui, scilicet in suam Ecclesiam et communionem, antequam in concilio caussa examinaretur. Sic enim in suo commonitorio ait Pontifex, teste Palladio in dialogo, *non oportere Joannem judicium aggredi, nisi prius illi Ecclesia, communioque redderetur, ut, omnis dilationis occasione sublata, sua sponte concilium ingredi possit.*

Cæterum effectus appellationum et judiciorum apostolicorum non a rebellibus et refractariis episcopis, sicut nec judiciorum secularium a rebellibus subditis desumi debet, utpote qui injuste ex odio vel invidia judicarunt, atque id-

circo ob malam conscientiam legitimum judicium perhorrescebant, prout in caussa Chrysostomi et Athanasii manifeste contigit, et quos ideirco Julius Pontifex acriter perstringit, sicut nec in civilibus pro regula esse potest, quod discoli et rebelles subditi vel injusti judices contra legitimas appellationes et judicia ad tribunal superius attentant.

Ad 5. Afri, fatente Febronio, in synodo Carthaginensi petebant, ut Cœlestinus P. inferiorum clericorum appellationes repellat, et appellantium episcoporum caussam, missis de latere suo, recognoscat quod est saltem episcoporum appellationes potius asserere, quam negare. Quoad presbyterorum, et inferiorum clericorum appellationes, synodus Carthaginensis se fundare videtur in concilio Milevitano, quod ita habet: *item placuit, ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici in caussis, quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint. — — Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem, judicia qui putaverit esse appellandum, a nullo intra Africam recipiatur.* At hìc bene advertendum est, quod hæc synodus Milevitana ab Innocentio I, epist. inter Augustinian. 39, sine limitatione approbata fuerit. Atque hìc est ille canon concilii Milevitani anno 416, celebrati, et ab Innocentio approbati, quem Febronius, tom II, apolog. ad-

vers. 4 theolog. et alii simpliciter pro canone Africano vendunt, quasi ab aliquo concilio Africæ sine auctoritate Papæ conditus fuisset, ut inde resistentiam Afrorum contra appellationes Romanas probare possent, in quo puto, non minimos vel hallucinatos, vel in errorem inductos fuisse. Habet igitur hic canon, qui auctoritati summæ sedis aliquatenus derogare videtur, suum robur et auctoritatem ab ipsa sede apostolica. Potuerunt autem ad hanc approbationem movere Pontificem nimia distantia Africæ, nimiæ expensæ in itineribus, nimiæ difficultates in elucidanda veritate, et nimia corruptela disciplinæ ex subtractione caussarum a judicio episcopi in prima instantia, ne janua abusibus patefieret. Quod si Pontifex autem hoc ipse concessit, non ideo jurisdictio dempta fuit, sed tantum ab exercitio suo cessavit.

At dum postea Apiarius presbyter Romam ad Zosimum P. appellasset, Afri, illo canone concilii Milevitani, et ab Innocentio approbati, freti atque innixi, ægre hanc appellationem tulerunt, voluntque etiam illam disciplinam a Papa sibi in Africa custodiri. Zosimus P. hac occasione inter alia episcopis Afris canones Sardicenses sub nomine Nicænorum canonum per legatos misit, sed quia illos canones in suis concilii Nicæni exemplaribus non reperissent, hinc existimabant, Zosimum canonibus suppositiis uti; nihilominus promittebant, se hos canones observaturos, usque

ad adventum verorum exemplarium Nicænorum, uti aiunt Patres Carthagin. epistola ad Bonifacium P. Zosimi successorem anno 419, *quorum omnium de primo et tertio, id est, ut Romam liceat episcopis provocare, et ut clericorum caussæ apud suarum provinciarum episcopos finiantur, jam priore anno etiam litteris nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zosimum episcopum datis, insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremur, usque ad inquisitionem statutorum concilii Nicæni.* In his quid aliud continetur, nisi quod per canones Sardicenses, a Zosimo submissos, statutum erat? imo Patres Africani, quamvis de illorum authentia, ex supra dicta ratione, adhuc dubitabant, de iis in tantum contenti erant, ut etiam Bonifacium P. rogarent, quatenus ipsis interim hos observare et exercere permitteret. Sic enim prosequuntur cit. epist. ad Bonifac. P. *et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam a Patribus acta, vel constituta sunt, sic ea a nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista, quæ in commonitorio adtulerunt, faciant exerceri.* Nempe per hoc significabant ipsos canones Sardicenses a Zosimo sibi tanquam Nicænos *missos, quippe immediate eos de verbo ad verbum referunt;* tandem sic concludunt. *Quod donec fiat* (ut authentica exemplaria Nicæna adferantur) *hæc, quæ in commonitorio supra dicto nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem, et*

de clericorum caussis apud provinciarum suarum episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur, et beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus.

Jam in his omnibus quid contra jus appellationum actum est? ubinam hoc jus Rom. Pontifici denegatur? Sola Apiarii presbyteri appellatio Afros episcopos pupugit, qui a suo episcopo juste damnatus fuit, et qui appellans Papam Zosimum, ab eo decepto restitutus fuit; hinc petebant solum, ne presbyterorum et inferiorum clericorum appellationes *promiscue* et *facile* admitterentur. Quando in concilio Milevitano judicia transmarina appellare sub pœna privationis a communione prohibetur, quidquid sit, si per *transmarina judicia* non solum provocationes ad judicia secularia et imperatoria, sed etiam appellationes Romanæ intelligantur, hic canon solummodo loquitur de clericis inferioribus, dein ab ipso Pontifice Innocentio I, fuit approbatus. Innocentius autem certo certius per hoc sibi jus appellationum denegare, vel detrahere non voluit, sed solum hujus usum restringere. Si enim Innocentius P. existimasset, appellationes minorum clericorum nullo modo ad sedem apostolicam pertinere, quare ipse appellationem Cœlestii ex Africa recepit? quare querelas et accusationes Hilarii et Elpidii presbyteri contra episcopos Hispanos audivit epist. 3? quare quinque episcopi Africæ, S. Augustinus, Aurelius, Alipius, Evodius, Possidius Pelagium

in Carthaginensi concilio jam damnatum adhuc ad apostolicum judicium remittendum censuerunt? sic enim scribunt Innocentio I, *Pelagius aut a tua veneratione accersendus est Romam, et diligenter interrogandus, quam dicat gratiam, aut hoc ipsum cum eo per litteras agendum.* Quare tandem epist. ad Victric. Rothomag. etiam appellationes in caussis clericorum inferioris ordinis apostolicæ sedi reservari, distincte pronuntiavit? certe Innocentius P. jus appellandi ad sedem apostolicam etiam per minores clericos in totum neutiquam abjecit, neque Afri illud negabant, sed id solum statutum est, et Afri petebant ne quivis clerici *promiscue* ad transmarina judicia provocent, nec *facilius, præpropere* et *indebite improba* eorum refugia recipiantur, sed horum caussa prius ad vicinos episcopos vel concilium provinciale deferatur, quod manifeste ex litteris Africanorum conciliorum ad Bonifacium et Cœlestinum PP. datis, atque ex modo dictis intelligitur.

Imprimis Africani episcopi epistola ad Bonifacium P. rogabant, ut ea, quæ in Sardicensibus canonibus de episcoporum appellationibus, et clericorum caussis continebantur, interim eos concedat observare, atque etiam Romæ exerceantur. Non debebant autem ante adventum authenticorum exemplarium ea admittere, minus rogare, si tunc jus appellationum Rom. Pontifici nullatenus competere credidissent.

Dein cit. epistola ulterius aiunt: *quæ si ibi*

(Romæ) *quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt, commonitorio continentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, tolerare cogeremur.* Vides, quæ fuerint querelæ Africanorum? non appellationes, seu jus appellationum accusabant, utpote quod ipsi *tali ordine* libenter admitterent, quo in commonitorio et allegato concilio Nicæno assertum fuit, sed contra quemdam abusum, et quasvis minorum clericorum promiscuas appellationes querebantur, qualis fuit illa Apiarii presbyteri, qui a suo episcopo depositus, præterito concilio provinciali, mox Romam appellavit, voluntque circa minores clericos sibi hanc custodiri disciplinam, ut a suo episcopo depositi vel damnati prius in concilio provinciali audiantur, antequam Romam appellent.

Patet hoc ulterius ex epistola eorundem Afrorum ad Cœlestinum P.; postquam enim citatos a Zosimo canones Sardicenses, quos Nicænos appellavit, quia Sardicense concilium pro complemento Nicæni habebatur, illi autem errore facti revera Nicænos esse existimabant, postquam, inquam, in allatis Alexandria et Constantinopoli exemplaribus Nicænis illos canones non reperiissent, necesse fuisset, ut mentem suam circa appellationes nunc apertius manifestarent; dum enim prius in litteris ad Zosimum et Bonifacium PP. tantum spondebant, se interim dictos canones

paulisper usque ad adventum verorum exemplarium Nicænorum observare, si alias jus appellationum Rom. Pontifici nullatenus competere credidissent, non inventis his canonibus, certo certius declarare debuissent, se illud jus jam non agnoscere. At potius contrarium declararunt citata ad Cœlestinum P. epistola. Etsi enim notum faciebant, se illos canones in Nicænis exemplaribus non reperiisse, nihilominus adhuc scribunt : *impendiosius deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis recipere.* Non dicunt, *nullatenus*, sed *ne facilius* admittatis. Dant vero hanc rationem, *quia hoc etiam a concilio Nicæno definitum facile advertet venerabilitas tua ;* scilicet can. 5, conc. Nicæn. At si Romano episcopo jus appellationum nullo modo competere voluissent, non solum *non facilius*, sed nullo modo excommunicatis a suo episcopo aures præbere debuisset, quia cit. can. universaliter tanquam sententia regularis statuitur : *per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur.* Dum igitur Afri Papæ non totam, id est, omnem etiam minorum clericorum appellantium audientiam denegant, manifestum est, quod solum de frivolis et promiscuis appellationibus loquantur, præcipue, quia sæpe appellantes fraudibus circumveniunt Papam, et innocentiam fingunt, atque e longinquo ob defectum testium

caussa non satis potest examinari, prout factum est in Pelagio, Cœlestio, Apiario, ad quas appellationes Afri respiciunt, et quibus se gravatos esse ostendunt. Ob hanc caussam addunt : *ne in sua provincia communione suspensi a tua sanctitate præpropere vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua.* Et infra. *At quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non potuerunt?*

Petunt ergo Africani episcopi, ut inferiorum clericorum et episcoporum caussæ in provinciis, ubi ortæ fuerunt, suis metropolitanis vel conciliis provincialibus aut nationalibus committantur. At hoc non obstat, quominus a concilio provinciali judicatus, si se gravatum senserit, adhuc ad Papam appellare possit; quippe id ipsum concilium Sardicense statuit, et tamen vult, ut *a congregatis episcopis regionis ipsius* Romanam appellare possit, et hæc, dum in commonitorio Zosimi legerent, ita placuerunt Afris, ut dicerent, se nullas querelas habituros, *si eadem, eoque ordine in Italia custodirentur.* Unde Afri solum deprecabantur, ne quis judicio offensus, præterito metropolitano vel concilio provinciali, Romam appellare audeat, *quia*, ut aiunt, *nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est*

Africanæ, et decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. — — Maxime, quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ, vel etiam universale provocare.

Quæ interim Cœlestinus episcopis Africanis ad hanc epistolam responderit, non constat; attamen ex his omnibus satis manifestum est, illos Rom. Pontifici jus appellationum, quod primatui cohæret, neutiquam denegasse, sed solummodo de hujus juris usu atque modo procedendi cum illo disceptasse, ideoque neque concilium Milevitanum, neque Innocentium I, nec ullum canonem Africanum hoc sensu intelligendum esse, quasi omnis appellatio Romana, etiam legitima, prohibita fuisset. Ipse quoque Innocentius I jam anno 405. Afris modum et moderationem circa appellationes episcoporum præscripsit, uti constat ex *Brevi caussarum* concil. Carthag. hoc anno Stilicone et Athemio CC. celebrati: *recitatæ sunt litteræ Papæ Innocentii, ut episcopi ad transmarina pergere facile non debeant, quod hoc ipsum episcoporum sententiis confirmatur.* Ad quod statutum sine dubio postea in appellationum negotio respexerunt Africani episcopi.

Quod si finis caussæ ex effectu æstimetur, eodem tempore ipsimet Africani episcopi Antonii Fussalensis episcopi appellationi ad sanctam

sedem detulerunt, ut constat ex ipso Augustino, tunc inter Africanos præcipuo, epist. 209, olim 261, ad eund. Cœlestinum P., in qua ipsum de omnibus contra dictum Antonium in synodo Africana gestis certiorem facit; et cum dein a SS. Leone et Gelasio PP. appellationes et caussæ episcoporum sedi apostolicæ omnino reservarentur, nequicquam ab Africanis amplius motum fuisse legimus.

Febronius tandem alibi etiam in hoc gloriatur, quod Africani hanc appellationum prætensionem in Rom. Pontifice *typhum*, id est, ambitionem, superbiam vocent, dum aiunt : *credimus — — quod, tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente, non sumus jam istum typhum passuri, et servabuntur erga nos etc.* Sed non est credibile, quod Patres congregati in hac de cætero satis submissa epistola hanc phrasin ad Papam, seu sedem Apostolicam voluerint referre, sed potius ad suos clericos, qui, ob faciles appellationes, judicia suorum episcoporum spernebant, et a quibus hanc ambitionem et molestias tolerare debebant. Jam respondetur.

Ad 6. Quid modo post hæc iterum Isidori decretales Febronius accusat? quæ utique hactenus attulimus, et tempore Hygini, Julii, Cornelii, Liberii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis, Gelasii etc. etc. Romanorum Pontificum contigêre, ætatem Isidori longe antecedunt. Neque soli sunt Gregorius IV, Leo IV,

Sergius, Nicolaus I, qui appellationibus faverunt, si hi tantam ante se traditionem invenerunt, totque sanctissimos et eximios antecessores, ut hisce secure inniti potuerint.

§ VII.

Provida et cauta fuit canonum Sardicensium ordinatio : nec tamen omnibus locis congrua, hinc nec ubique recepta.

Illam falsæ decretales in infinitum extenderunt, magno disciplinæ ecclesiasticæ detrimento, in hodiernum usque diem perdurante.

Dum quivis, gravatum se sentiens, refugium quærit apud eos, qui auctoritatem habent, et unde gratiam sperare potest, hinc multi a synodis damnati non solum ad Papam, sed et ad Imperatores, ad alias sedes, vel etiam majores synodos confugerunt, et licet vetitum esset, excommunicatos in communionem recipere, sæpe tamen indebite damnatus ab aliis facile in communionem admittebatur. Ne igitur taliter gravati in infinitum vagari permitterentur, conveniebat iis certum modum statui, quod præstitêre Patres Sardicenses. At, quia statuta conciliorum non obligant, ubi propter convenientias alicubi resultantes non recipiuntur juxta § 2, n. 6, hinc Sardicensis ordinati in oriente et in Africa vix ullum usum fuisse, quin eidem, data opportunitate, contradic-

tum esse deprehenditur. Interim hæc Isidori falsario campum dederunt, zelum suum pro Romana curia exercendi, tum interpolando textum Sardicensem, tum quod pro solis causis episcoporum permissum est, extendendo ad quascunque causas, et quoscunque judices.

1. Claudius Fleuri ex fide et veritate historiæ ecclesiasticæ discursu IV, n. 5, ait, falsas decretales in infinitum extendisse appellationes ad Papam, falsarium per totum suum opus, citando novem omnino Pontifices, diligenter hanc regulam sparsisse, quod non tantum omnes episcopi, sed et omnes presbyteri, et in genere omnes personæ possint in omni occasione directe appellare ad Papam, Cyprianum solidis rationibus se opposuisse appellationibus, tempore Augustini in Africa non fuisse permissas, usque ad nonum seculum in vim concilii Sardicensis paucas reperiri appellationes, nisi ab episcopis magnarum sedium, qui non habebant alium superiorem, quam Papam, post falsas decretales plures videri appellationes, quibus cum vigore restitit Hincmarus.

2. Hæc constans modernorum et eruditissimorum Galliæ canonistarum traditio est. Hericourt tract. *des lois ecclésiast. de France*, ait, concilium Nicænum permisisse damnatis appellare ad concilium provinciale, sed addidisse, ut omnis causa in provincia terminetur, adeoque initio seculi quarti non fuisse aliam appellationem, quam

ab episcopo ad concilium provinciale, quod summo jure judicavit : in concilio Sardicensi permissum esse episcopis, confugere ad Papam pro impetrando novo caussæ examine in concilio pleniori : omnibus notum est, quantum Ecclesia Africana se opposuerit appellationibus ultramarinis : Ecclesiam Gallicanam non minori zelo conservasse suum antiquum jus, et quarto seculo plures Galliæ episcopos in concilio provinciali damnatos fuisse, absque quod ad Papam adpellaverint, quod etiam S. Hilarius asseruit contra Leonem Papam. Postea concessum fuisse appellare ad Papam in episcoporum et maximi momenti caussis, dein etiam in caussis particularium : falsas decretales servire ad stabiliendas appellationes in levibus quoque caussis : concilium Basileense his abusibus quemdam modum posuisse. His subjungit Febronius : tantum abest, ut quæ a Sardicensi synodo in honorem sedis apostolicæ ordinata sunt, *ex jure divino* immediate promanare, aut Romano primatui *essentialiter* adhærere censeri debeant.

3. Dein in longum producitur S. Bernardus lib. 3, de consid. c. 2, ad Eugen. P. inter alia sic habet : *quantos novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licuit ? nonnullis etiam quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia incestum, adulterium. — — Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem et abusionem ? præter jus et fas, præter morem et ordi-*

nem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non caussa discernitur, aut persona. — — Appellantur boni a malis, ut non faciant bona. Appellantur episcopi, ne illicita audeant matrimonia solvere vel prohibere. Appellantur, ne furta, ne rapinas, ne sacrilegia, et quæ ejusmodi sunt, punire ullatenus, vel cohibere præsumant. — — Et cur, inquis, male appellati non veniunt ostensuri suam innocentiam, malitiam convicturi? dico, quod dicere ad hæc solent: nolumus vexari frustra, in curia esse, qui proclivius faveant appellantibus, faveant appellationes, cessuris Romæ, domi cedere satius. Adde Bernardi epist. 178, et binas sequentes.

4. Sequitur Conradus Urspergensis in chron. p. 307, *vix remansit aliquis episcopatus, sive dignitas ecclesiastica, vel etiam parochialis ecclesia, quæ non fieret litigiosa, et Romam deduceretur ipsa caussa, sed non manu vacua. Gaude, mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi et aggeres nummorum in magna copia. Lætare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in compensationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jucundare super adjutrice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. — — Ad te trahit homines non devotio aut pura conscientia, sed scelerum multiplicum* perpetratio, et litium decisio pretio comparata.

5. Hildebertus archiepiscopus Turon. epist. 82 ad Honorium II, P. *quaslibet appellationes in Romana vigere et suscipi Ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec in Sacris traditum institutis. Quod si forte hujusmodi emersit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, pontificalis censura peribit, et omnino conteretur ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor ad solam anathematis comminationem non statim appellabit? quis clericus aut presbyter frustratoriæ appellationis refugio non putrebit, aut etiam sepelietur in stercore suo? quis episcopus habebit in promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam etc.?*

6. Nemo sibi persuadeat, has querelas *modum* tantum appellationum tangere, non autem earum *substantiam*, atque ab eo tempore per Tridentini sanctiones, et plures Romanorum Pontificum, præcipue Benedicti XIV, constitutiones iis vitiis finem impositum fuisse. His quippe ordinationibus aliud non cavetur, quam ut frivolis appellationibus a gravaminibus *extrajudicialibus* occurratur. Quod si negotium judicialiter tractandum, aut tractatum est, a quibuscunque locis, caussis, personis appellatio valet, omnesque inconvenientiæ a Bernardo, Hildeberto, Urspergensi, Fleurio recensitæ, aliæque exhauriendæ sunt, aut caussa, sæpe cum publico dispendio, in medio relinquenda.

7. Fatentur summi Pontifices, ab episcopis,

propter appellationes, sæpe querelas Romam deferri : Benedictus XIV, constit. anno 1742, ait, has *querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re caussam et originem habentes, quod inferioribus grave sit obedientiæ ac subjectionis jugum erga majora tribunalia, ipsisque nimis displiceat, sibi subditis appellationis beneficio succurri.* Sic existimatur, aut saltem asseritur Romæ : sed solidius cogitatur extra Italiam, quod nempe hæ appellationes repugnent sacris canonibus, æquitati, prudentiæ et politiæ christiano-catholicæ, bono disciplinæ ecclesiasticæ, juribus regnorum, evertant fortunas privatorum, et procurent delinquentibus impunitatem. Dein Romani non attendunt ad jura particularia provinciarum.

NOTA.

Si *provida*, si *cauta* fuit, concilii Sardicensis *ordinatio*, ad quid tot clamores, tot violentæ interpretationes, ut ejusdem vigor canonum retundatur? si *provida*, si *cauta* fuit, cur non ubivis admittatur? dum, ut ipse ais, *insitum a natura* principium miseris concedit, ut aliunde auxilium quærant, ubi iniquius secum actum esse putant. Si *provida* et *cauta* fuit, cur tom. II, advers. 4 theolog. pag. 235, cum Van Espen et Petro de Marca, seu potius Balluzio asseris, *per canones Sardicenses læsam fuisse auctorita-*

tem supremam synodorum provincialium? nunquid hæ synodi ab Ecclesia suam auctoritatem receperunt? ergo ab Ecclesia iterum mutari et tolli poterat, atque hoc abs concilio generali haud iniquius factum fuisse, censendum est. Num æquum, genuinique vel minus præoccupati scriptoris est, continuo ad traditionem, et vetera monumenta provocare, interim sæpius recentiores scriptores et historiunculas singulares pro argumento afferre, et si in aliquod vetus monumentum offendat, quod Rom. Pontifici nimium favere videtur, contra communem hucusque sensum et praxin ineptis et violentis omnino interpretationibus involvere? quod jam multoties vidimus, et duobus sequentibus §§ amplius patebit, imo integra concilia generalia carpere, atque ad crisin revocare, prout de Sardicensi egit. An non manifestum est, Febronium antiquitatem solummodo obtendere, ut hujus testimonia, quæ suæ obstant opinioni, recentiorum Romanæ Ecclesiæ hostium commentis obfuscet, deprimat, oblitteret, et postea hodiernorum scriptorum maleferiata crisi et cavillationibus suum systema fulcire, sicque liberius ac insolentius in sanctam sedem debacchari possit? hoc nemo diffitebitur, quicunque integrum Febronium attente legerit, atque materiam, quam tractat, argumenta, scriptores, horumque excerpta et testimonia, qua occasione et loco ea collocet, rite expenderit.

Porro ut vim Sardicensis concilii facilius eludat,

dicit conciliorum statuta, nisi recepta non obligare, citans supra § 2, n. 6, sed ibi demonstravimus, id non ex mera non receptione (quippe ad legem recipiendam omnes obligantur) sed ex voluntate legislatoris nolentis in talibus circumstantiis obligare, ortum habere.

Ait ulterius, in oriente et Africa canonum Sardicensium *vix ullum usum* fuisse, quin, data opportunitate, *contradictum fuisse*. At si *ullus* tantum *usus* fuit, utique in vim horum canonum fuit? vide interim § superiori ad num. 3, qualem vim et usum in oriente habuerit concilium Sardicense circa appellationes, ne eadem repetere necesse sit. Idem est de Africa. Omnibus notum est, quod Patres Africani, qui tamen appellationes Romanas nullibi in totum negabant, primitus canonibus Sardicensibus ex errore facti, et ideo noluerint deferre, quia hos ignorabant, atque existimabant, eos non genuinos, sed supposititios esse, dum a Zosimo P. tanquam Nicæni allegarentur, quos tum in propriis, tum in aliis ex oriente allatis concilii Nicæni exemplaribus non potuerunt invenire. Quod si scivissent, revera alicujus concilii generalis canones esse, absque hæsitatione aut mora observassent; quippe eos non solum laudabant, sed etiam interim usque ad adventum verorum exemplarium se eosdem observaturos promittebant, uti constat ex epist. ad Bonifac. P. vide § præced. ad n. 5, in not.; atque ab illis postea melius edoctis de his nulla

amplius quæstio mota legitur. Quo jure ergo Febronius dicit, statuto Sardicensi in Africa contradictum fuisse, citans eund. § præced.num. 2? si qua contradictio fuit, ex errore fuit, quia putabant Afri, tale statutum revera non existere, non contradictio contra statutum certo existens. Dein non omnis contradictio et inobedientia contra legem probat revera legem non esse, vel potestatem et jus in legislatore non existere, secus plurimæ leges civiles et ecclesiasticæ nihil valerent, aut non existerent.

Cæterum, Isidorus zelum suum non pro Romana curia exercuit, sed pro salvandis episcoporum juribus contra aggressores, uti ipse Isidorus in sua præfatione satis manifestat, et solertissimi Ballerinii multis ostendunt. Dein, quinam primis seculis, et ante omnes Isidori decretales, ad Romanam sedem appellaverint, nempe non solum episcopos, sed et presbyteros, vide supra § præced. ad num. 1 et 3. Quare autem episcopi Africani jam querebantur, appellationes inferiorum etiam clericorum ad Romanam sedem deferri, si hanc licentiam primum Isidorus invexit? Isidorum ubique insimulare, atque omnium auctorem vendere debes, ut facilius Romana jura subvertere possis.

Ad 1. Eadem tibi ad Fleurium responsio est, qui non semper bene ex fide et veritate genuinæ historiæ ecclesiasticæ discurrit. Vid. *P. Baudouin, mauvaise foi de M. l'abbé Fleury*, et quæ in cit.

locum respondeat auctor *des observations sur l'histoire ecclés. de l'abbé Fleury. Observ.* 5. Porro dum Fleurius dicit, pauca post concilium Sardicense reperiri appellationum exempla, nisi forte magnarum sedium, ad hæc respondeo, quædam a me superiori paragrapho tum ante, tum post Sardicense concilium allata esse, plura ostendet tibi etiam ex Gallia Christianus Lupus. Sed num hæc omnia sunt? certe quod neque Fleurius tanquam historicus diffiteri potest, non omnia in actis notata sunt, vel ad nos usque pervenerunt. Quanquam a Clemente usque ad Siricium, Romanorum Pontificum epistolæ ut plurimum apocryphæ habeantur, quis tamen neget, eos omnes in tota Ecclesia nihil egisse, se, pro divinitus sibi commissa cura pastorali, nullis negotiis immiscuisse? profecto ubi una vel altera horum Pontificum epistola genuina reperitur, mox in illa relationes ab aliis factas, resolutiones dubiorum, ordinationes, decisiones litium deprehendimus. Quid si omnia rescripta nobis constarent? sed et hoc etiam valet pro tempore post concilium Sardicense; nam et ab eo tempore non omnia nobis tam diligentissime conservata sunt.

Adhuc tamen admiror, Fleurium, adeoque et Febronium admittere *appellationem ab episcopis magnarum sedium, qui non habebant alium superiorem, quam Papam.* Cur ad Papam, et non ad concilium generale, si hoc est superius? cur ad Papam, si hic non habet jurisdictionem? et

quo jure tunc Papa magnarum sedium episcopos, horumque appellationes judicabit? utique jure primatus? quod si hoc jure majores, quare non etiam inferiores sedes judicare poterit? cum jus primatus se non solum ad majores sedes, sed illimitate ad totam Ecclesiam extendat, atque inferiora tribunalia, puta metropolitanorum, primatum et synodorum provincialium etc. non jure divino, sed ecclesiastico tantum sint instituta, quod primatui divino nullum præjudicium afferre potuit. Neque dicas, Papam majores sedes tantum in vim Sardicensis concilii judicare; nam istud concilium non propter majores sedes, de quibus ne quidem loquitur, sed de omnibus minoribus episcopis hoc statuit, atque Romani Pontifices jam ante concilium Sardicense in majorum sedium episcopos judicium exercuerunt, uti aperte etiam constat in caussa Athanasii; postea autem in similibus caussis sibi hoc jus non ex isto concilio, sed ex primatu divino asseruerunt. Vides hinc, dum majorum sedium episcopos pro appellatione ad Papam remittis, eo ipso hoc jus non obscure ad primatum referri, qui cum ad omnes episcopos æqualiter se habeat, non minus etiam circa hos exerceri potest.

Ad 2. Ex his, sicut etiam ex dictis paragrapho præcedenti jam patet, quam parum solide et minus erudite in hac re discurrat Hericurtius, qui etiam difficulter probabit, concilium Nicænum addidisse, ut omnis caussa, cujuscunque

naturæ sit, in provincia terminetur : *que toute affaire, de quelque nature qu'elle soit, sera terminée dans la Province.* Quando vero ait, plures episcopos Galliæ quarto seculo condemnatos in sua provincia fuisse, quin appellaverint ad Papam, quid inde probat? quis enim dixit, omnes in provincia legitime condemnatos, vel convictos de manifestis criminibus, appellare debere, ubi nulla appellandi caussa existit? interim singula momenta, quæ tum Fleurius, tum Hericurtius affert, satis nervose profligavit Christianus Lupus tract. de appellat. eccles. Gallic. tom. XXX, a pag. 10, usque ad pag. 46, ubi probat, variisque exemplis demonstrat, appellationes ad sedem Romanam in Gallia omnino antiquas esse, unde etiam sequitur, multum a veritate aberrare illa verba Hericurtii : *L'église Gallicane ne conserva point son ancien droit, avec moins de zèle, que celle d'Afrique.* Quare testimonia ex Gallia a Febronio adducta nequaquam irrefragabilia sunt.

Ut tamen Christiani Lupi auctoritatem et argumenta, sibi satis adversa deprimat, tom. II, pag. 236, reponit, tractatum Lupi de appellationibus sic impugnatum fuisse a Dupinio *in dissert.* 2, *histor.* de antiqua Ecclesiæ disciplina, cui titulus, *de forma judiciorum ecclesiasticorum, ubi de appellationibus adversus nuperam Christiani Lupi elucubrationem*, ut contrarias Dupinii rationes et documenta hactenus nemo everterit.

At evertit ipse Lupus in opere posthumo, Bononiæ edito anno 1742, quod nunc ad tomum XIII. pertinet, et cui titulus : *summum Romanæ apostolicæ sedis privilegium, quod evocationes, ac appellationes Germanicas, Anglicas, Belgicas etc.* Quod forte Febronius, et etiam Dupinius non amplius vidit.

Dum vero auctoritatem Dupinii, qui in hac caussa Calvinum et Quesnellum socios habuit, tanti facit Febronius, habeat de eo testimonium ex Gallia. Nempe Antonius Charlas tom. III, pag. 5, de eo sic habet, se *pro certo habere, dissertationes illius* (Dupinii) *de Ecclesiæ disciplina elucubratas, hæreticis arma ministraturas, quibus non solum Romani Pontificis primatum, sed etiam universam Ecclesiæ hierarchiam concutiant, et varios ejus ordines confundant, quippe cum multa contineant heterodoxorum erroribus confinia.*

Posthæc nemo nescit, ex Gallia Ludovicum Maimbourgum, atque Natalem Alexandrum stare pro appellationibus Romanis, qui multis documentis et argumentis hanc sententiam firmavit. Pariter cum Jo. Gerbais Doctor Sorbonæ ex mandato cleri Gallicani scripsisset tractatum *de caussis majoribus* contra librum Davidis *de judiciis canonicis*, et ille tractatus Gerbasii, ubi sustinet, originem appellationum Romanarum ad canones Sardicenses referri debere, Romæ damnatus fuisset, clerus Gallicanus, discusso utrius-

que libro, in tantum quievit, ut subsequentes tractatûs Gerbasii editiones in multis fuerint immutatæ.

His præmissis, Febronius audet dicere, hanc, nempe quam ipse sustinet, esse *constantem* modernorum et eruditissimorum *Galliæ* canonistarum *traditionem?* quasi Maimburgus, Natalis Alexander, emendatus Gerbasius, aliique in Gallia nihil valeant; Dupinius vero, Fleurus etc. nec in Gallia, nec alibi ob suas opiniones vapulent.

In materia appellationum Febronius in suis libris sæpius ex Germania citat P. Zallwein celebrem Benedictinum, qui tamen Princip. jur. eccles. tom II, pag. 201, claris verbis dicit: *quæstio juris nostra opinione facillimæ est decisionis; nam si semel in Pontifice revereamur quemdam primatum jurisdictionis, sane jus appellandi inde velut appendix necessaria consequitur. Quid enim aliud est jus appellandi, quam jus provocandi ad judicem superiorem, velut ex ipso jure naturali fluens? — — Si ergo Pontifex vi primatus vicem legitimi judicis sustinet, quo ausu ipsi admissionem, vel exactionem appellationum abnegare sustinemus?* Febronius quidem Zallweinium ex Zallweinio refutare contendit tom. IV, a pag. 231 usque 235; at Zallwein primatum jurisdictionis admittit, quo admisso, ineluctabile est argumentum, quod pro appellationibus Romanis adducit. Quod si sibi postmodum alibi contradixerit, ipse viderit, quamquam alibi quæstionem *facti*

discutiat, non *juris*, de qua nobis potissimum sermo est.

Ad 3. Si Febronio ad querelas S. Bernardi idipsum respondeo, quod ille cap. 3, § 8, ad ejusdem D. Bernardi verba amplissima de primatu et jurisdictione summi Pontificis respondit, nempe *figuratas* et *ampullatas* esse elocutiones, prout nihil probare, omnino contentus esse debet; quippe idipsum hoc loco, quod ibi ille, non minori jure dicerem. Rursus juxta Febronium Bernardus cit. loco et alibi secundum corruptam ideam falsarum decretalium loquebatur: jam hic genuine et verissime loquitur. Nempe si Bernardus vel alii Patres quidpiam dicant, quod Febronio favere videatur, boni sunt, si eidem iterum adversentur, mox relinquendi, et sine honore abjiciendi. Bernardus hic aperte *modum* tantum et *abusus* carpit. Quippe eodem loco, nec ullibi Romano Pontifici jus appellationum denegat, quin dum ubi quæstionem juris tantum obiter tangit, ait: *appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatus tui.* Et infra: *fateor, grande et generale mundo bonum esse appellationes, idque tam necessarium, quam solem ipsum mortalibus.* Vides, juxta Bernardum, hoc jus omnino necessarium esse, atque ad primatum pertinere. Igitur et in hoc tu Bernardo crede, atque applaude. At, si postea, dicente eodem S. Bernardo, *antidotum versum est in venenum*, Papa propter

abusus jus suum abjicere non debet. Notum est, etiam in inferioribus foris ecclesiasticis, atque in civilibus appellationes per omnia tribunalia multas confusiones parere, nec nullibi appellantem manu vacua comparere oportet, ab his tamen nullibi a recipiendis appellationibus desistitur. Optandum foret, ut abusus ubivis tollerentur, jus nihilominus in suo debito vigore permaneat.

Ad 4 et 5. Eadem sit responsio. Ubivis contra abusus conclamatur, nullibi jus negatur. Adverterit autem Febronius, quam histrionice sua dicteria ingerat Urspergensis, et tamen hæc ei gravissima argumenta sunt. Leget, quisquis volet, has querelas, *modum* seu abusum, non *substantiam* seu jus divino primatui inhærens tangunt. Sed quanta audacia viri! ipsum sacrosanctum concilium Tridentinum, totque summos Pontifices publice criminari, quasi per suas sanctiones et constitutiones contra hos abusus fere nihil egerint, omnesque eæ inconvenientiæ permanserint? nunquid appellationes Romanas omnino e medio tollere debuissent? quis modo credat, cum sinceram conciliis œcumenicis, atque vicariis Christi reverentiam habere, dum eos tantopere cavillari audet? et quod spectat Benedictum XIV.

Ad 6 et 7. Perspicacissimus hic Pontifex utique melius noverit, quid in tota Ecclesia agatur, quidque conveniat, quam Febronius in sua

Archidioecesi constitutus. Appellationes Romanas genuinis canonibus non repugnare, jam satis ostendimus. Quod si serio existimes, eas aequitati, prudentiae, politiae christianae, bono disciplinae repugnare, evertere fortunas privatorum, delinquentibus procurare impunitatem, prius omnia testimonia et argumenta a nobis allata tibi exhaurienda sunt, dein adhuc idipsum de appellationibus a civilibus magistratibus asserere debes, ubi appellatus superior non semper praesto est, omnesque illae, et adhuc majores inconvenientiae intervenire possunt, sicque remedium omnis appellationis tolli debet. Quid ad hoc dicent politici? num principes hoc jure se abdicabunt? an nullum amplius refugium relinquetur miseris, atque injuste oppressis?

Si denique tanta mala et inconvenientias pariunt appellationes ad Papam, judicem vivum et existentem, quanta pariet appellatio a Papa ad futurum concilium generale, non existens, et longissime adhuc absens, quam appellationem ut legitimam pluribus locis audacter defendit Febronius. Num talis appellatio non repugnat prudentiae, bono disciplinae? an non per integra secula delinquentibus procurat impunitatem? an non etiam longe majora mala et inconvenientias post se trahit? dum autem Febronius sic cogitat cum suis asseclis, num *solidius cogitatur extra Italiam*?

§ VIII.

Summorum Pontificum Gelasii et Nicolai I, epistolæ, quæ favore Romanarum appellationum solent allegari, explicantur.

Benedictus XIV ad probandam juris appellationum connexionem cum Rom. Pontificis primatu, citat epistolam Gelasii I, ad episcopos Dardaniæ anno 495, *cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes B. Petri apostoli jus habeat resolvendi, ut quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio : siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Hanc Gelasii auctoritatem allegat Nicolaus I, epist 8 ad Michaël. Imp. inquiens : *patet profecto, sedis apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio ; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Verum, dum supra Gelasius circa appellationem ad Petri sedem *canones* vocat, id aperte ad *Sardicenses* pertinet, proinde ex jam præmissis interpretationem accipit. Dum addit, Rom. Pontificem *de omni Ecclesia fas habere judicandi, neque cuiquam licere de ejus judicare judicio* : quoad priorem partem in materia fidei,

de qua in epistola agitur, suo modo verum est, circa *præliminare* aliquod judicium, reservata semper universali synodo ampliore auctoritate. Quoad alteram partem, non loquitur Gelasius de aliqua synodo, sed de singularibus episcopis, ut patet ex voce cuiquam, et ex scopo epistolæ, in qua adversus *singulares* episcopos agitur, qui nomen Acacii retinere voluerunt in dypthicis.

1. Plura speciosa verba exhibet Gelasiana epistola, si *singillatim* considerentur; si ad totum ejus argumentum attendatur, parum continet pro prætensione ultramontanorum, uti solide demonstrant Bossuet, Launoius, Dupinius. Interim illa rectiorem interpretationem, aut potius certiorem refutationem accipit in accurata discussione trium allegatorum in ea epistola exemplorum. Est autem hoc pro exemplo, Romanos jam sub finem seculi V, cum de munienda sua auctoritate ageretur, talibus expressionibus usos fuisse, quæ posteros facile in errorem nimietatis possent conjicere.

2. Tempore Nicolai I, Isidori decretales jam vigebant, hinc minime mirandum, hinc Pontificem plenis velis iniisse in communem tunc sententiam, suæ sedi adeo faventem, atque in rem suam visa ex Gelasio excerpsisse. Attamen, demonstrante Stephano Balluzio, ante hoc tempus synodi Gallicanæ nullam a decretis suis appellationem ad Papam permiserunt.

NOTA.

Si in materia appellationum ad Ecclesiæ traditionem accedimus, ad quam multo clamore sæpius provocat, attamen parum reveretur Febronius, tunc certe in illa præeminet testimonium Gelasii P. omnibus numeris absolutum, omnique exceptione majus. Est quippe testimonium non a privato aut obscuro viro, vel rerum ignaro scriptore prolatum, sed a sanctissimo et doctissimo Ecclesiæ catholicæ summo Pontifice propositum, neque obiter vel incidenter solum, sed præmeditate et ex proposito pronuntiatum. *Nec tamen taceamus,* ait S. Pontifex, *quod cuncta per mundum etc.* est testimonium *publicum* in caussa publica, quæ versabatur circa damnationem Acacii, patriarchæ Constantinopolitani, et *publice* datum, nempe *universis episcopis per Dardaniam constitutis,* uti habet inscriptio epistolæ : imo testimonium non solius Gelasii, sed totius orbis catholici, quippe qui ad hunc publice provocare et allegare ausus fuit : *cuncta per mundum novit Ecclesia,* quod comprobat ulterius, eam sententiam atque doctrinam jam non cum Gelasio, id est, ad finem seculi V, incepisse, sed jam antehac toti Ecclesiæ notam, certamque fuisse.

Tale igitur, tamque perspicuum testimonium, etsi nullum aliud superesset, nec facta extarent, abunde sufficeret, ad probandum communem seculo V, Ecclesiæ sensum, doctrinam, et traditionem

circa jus recipiendarum a Rom. Pontifice appellationum ex tota Ecclesia, adeoque omnino omnem fidem, venerationemque promereretur : nihilominus apud Febronium pene nullam meruit, utpote cui directe adversatur. Clamat enim Febronius : oriens non agnovit appellationes Romanas. Gelasius, ad orientis ecclesias scribens, ait : *cuncta novit Ecclesia*. Clamat Febronius : Africa non agnovit. Gelasius patria et ipse Afer ait : *cuncta novit Ecclesia*. Clamat Febronius : Gallia non agnovit. Gelasius : *cuncta novit Ecclesia*. Ideo Febronio multum intererat, hocce testimonium, dum directe profligare non posset, ope Launoii, Dupinii, Bossueti clarissima ejusdem verba suis interpretationibus et commentis in tantum depravare, ut obvius horum sensus et litteralis lectori omnino imponere deberet, et jam non verba auctoris, sed solæ interpretationes Febronii audiendæ essent. Sunt autem sequentes :

Dum Gelasius *canones* nominat, *Sardicenses* debent intelligi, ideoque interpretationem accipere ex præmissis.

At imprimis adhuc neutiquam certum est, Gelasium hìc *canones Sardicenses* indigitare; præterquam enim quod *canon*, quæ vox *regulam* sonat, veteri phrasi non tantum de statuto aut lege alicujus concilii, sed etiam de traditionibus et ordinationibus ab apostolis aut summis Pontificibus acceptis diceretur, Gelasii dicta cum canonibus Sardicensibus non tantam habent affinitatem, ut ad hos respexisse, credi possit. Quare

enim in confirmationem adducit exemplum Athanasii, jam ante concilium Sardicense appellantis? dein ubinam canones Sardicenses sanxerunt, quod sedes B. Petri de omni Ecclesia fas habeat judicandi, quin tamen de ejus liceat judicare judicio, et ab illa nemo sit appellare permissus? quippe hæc omnia canonibus sancita esse, testatur Gelasius, quod adhuc clarius explicat in commonitorio ad Faust. *ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluêre deferri: ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam per totam Ecclesiam judicare; ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.* At ista omnia nec in concilio Sardicensi, neque in Nicæno leguntur. Hinc rectius dicitur, Gelasium *canones* intellexisse ipso Sardicensi concilio longe anteriores, seu potius veterem traditionem et praxin Ecclesiæ, quæ semper pro ecclesiastica regula habebantur, quod cit. commonitor. ad Faust. adhuc magis confirmatur, dum ait: *quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi et majorum traditio et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet.* Vides, Gelasium hanc prærogativam Romanæ Ecclesiæ non simpliciter ad canones, sed et ad traditionem Patrum et ipsam Christi vocem sacri et supremi

primatus collativam referre. Hoc sensu etiam Julius I, decem ferme annis ante concilium Sardicence, ad episcopos Eusebianos scribit : *appellandæ sedis apostolicæ consuetudinem olim renovatam, et scripto proditam fuisse in magna Synodo.* Et Zosimus I, pari sensu confidenter ad concilium Carthaginense scripserat : *Sedi apostolicæ eam auctoritatem per canones NB. ex Patrum traditione tributam fuisse, ut de ejus judicio disceptare nullus audeat.* Vide Coustant in epist. Zosimi et Julii I.

Ast concedamus interim Febronio, Gelasium per verbum *canones* intelligere *Sardicences :* hoc ipso iterum plene confunditur, totumque suum systema ruit. Ipse quippe dixerat, per canones Sardicenses Rom. Pontifici non concedi appellationem *proprie* dictam, sed tantum *prælimina-rem quamdam cognitionem*, eum non habere facultatem *judicandi* caussas appellationum, sed solum cognoscendi, *utrum et quando renovationi judicii locus esse deberet, vel non etc.* vid. supra § 6.

Gelasius e contra dicit, per canones *appellationes totius Ecclesiæ* ad Rom. sedem deferri, hanc habere *jus* de omni Ecclesia *judicandi*, nemini licere de ejus *judicare judicio*, nec ab illa sit *appellare* permissum. Quod si ergo in textu Gelasii per canones intelligi debent Sardicenses, uti Febronius sustinet, sequitur, iis canonibus Rom. Pontifici assertum fuisse jus appellationum

proprie dictarum, et quidem de *omni Ecclesia* in toto mundo, cum *proprie judicare*, ejusque *judicium* irretractabile et supremum esse, a quo appellari non possit, ideoque interpretationes Febronii circa canones Sardicenses omnino confictas et falsas esse. Quocunque igitur se vertat Febronius, se ipsum refellit, atque confunditur.

Ast dicit, verba Gelasii interpretationem ex præmissis a se debere accipere. Mira propositio! ergo jam cardo rei in eo vertitur, utrum Gelasius a Febronio, vel vicissim Febronius a Gelasio interpretationem recipere debeat? at verba Gelasii sunt clara et determinata : verba autem clara et determinata sumenda sunt, prout sonant, nec interpretatione indigent, dumque glossis Febronii aperte contradicunt, ideo istæ hoc ipso frivolæ et falsæ sunt. Certe testimonium Gelasii convincenter demonstrat, qualis fuerit doctrina et praxis Ecclesiæ circa appellationes Romanas, et judicio summæ sedis post concilium Sardicense, ex quo etiam intelligimus, quem sensum hujus canones in tota Ecclesia obtinuerint? si ergo hoc testimonium Gelasii destruere voluit Febronius, non debuisset meras argutias et glossas arbitrarias in concilium Sardicense opponere, sed talia ex antiquitate documenta, omni exceptione majora afferre, quæ mox post concilium contrariam praxin et sensum Ecclesiæ demonstrarent, et quibus falsi convinceretur Gelasius;

unde frustra Gelasium ad præmissas tuas Sardicensis concilii interpretationes revocare contendis, cum ipse a Gelasio concilii interpretationem recipere debuisses.

Pariter omni fundamento et veritate destituuntur reliquæ interpretationes Febronii. Quid? quod Rom. Pontifex *jus habeat de omni Ecclesia judicandi*, hoc tantum *in materia fidei* sit verum, et quidem solummodo *circa prælimínare judicium*, reservata universali synodo majore auctoritate? item quod non liceat *de judicio* Rom. Pontificis *judicare*, hoc non *de synodo*, sed *de particularibus episcopis* intelligi?

Num exempla Athanasii, Chrysostomi etc., quæ in confirmationem judicii Romani profert Gelasius, in materia fidei versabantur? dein an non Gelasius totus in eo est, ut ostendat, sedem apostolicam etiam *sine ulla synodo* posse *quævis damnanda* damnare, atque ab aliis, quin etiam *a synodo* damnata resolvere, e contra, *a synodo* resolvi non posse, quæ apostolica sedes damnaverat? sic cit. epist. ad episcopos Dardan. illos vehementer arguit, qui putabant, *Acacium ideo non jure damnatum, quod non speciali synodo videatur esse dejectus.* Hoc ipsum est, quod sentit Febronius, nempe Romanum judicium tantum esse *prælimínare*, atque caussam et episcopum a concilio *jure* judicari et damnari debere. Verum Gelasius contra hos ait, *ab antiqua Ecclesiæ traditione devios esse, atque profanas*

suas novitates et ineptias caducæ perversitatis obtendere. Videat Febronius se jam in Acacianis a Gelasio damnatum, et quidem ideo, quod *ab antiqua traditione devius* sit.

Porro, quamvis postea Gelasius probaret, Acacium virtute Chalcedonensis synodi fuisse damnatum, cujus apostolica sedes fuerat executrix, nihilominus mox demonstrat, hoc jus sedi apostolicæ etiam sine ulla existente synodo competiisse. Quippe post citatum a Febronio textum, inferius subdit : *sed nec illa prætermimus, quod apostolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla synodo iniqua damnaverit, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Et de Chalcedonensi synodo ibidem ait : *in qua sola* (sedes apostolica) *jus habuit absolvendi eos, quos synodica decreta perculerant : sic etiam sine synodo in hac eadem caussa plurimos etiam metropolitanos damnasse cognoscitur.* Quare hæc non addidit Febronius? vidisset, Rom. Pontificem, non tantum *in materia fidei*, sed simpliciter omnia *iniqua* damnare, nec solum *præliminariter, reservata synodo majori auctoritate*, sed *sine ulla synodo*, sic quidem, ut quos etiam prius *synodica* generalis concilii *decreta perculerant, jus haberet absolvendi.*

Tandem mentem suam contra falsas Febronii interpretationes adhuc apertius declarat Gelasius in suo commonitorio ad Faustum in hac ipsa

caussa contra fautores Acacii edito, ubi sic habet : *Nobis opponunt canones* (idipsum agit Febronius) *dum nesciunt, quid loquantur ; contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam per totam Ecclesiam judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari : — — cujus potius decreta sequenda mandarunt.* Quales hi sint canones, jam supra dixi : certe Sardicenses non sunt, in quibus ista non leguntur. Interim hìc Romanæ sedi tales asseruntur appellationes, per quas ipsa totam Ecclesiam judicat, judicio non mere *præliminari* et *revisorio*, sed de quo amplius *appellari* aut *judicari* non permittitur : igitur judicio supremo, ultimo et irreformabili, per quod præeminentia sedis apostolicæ supra concilium nitide significatur. Unde prorsus ridiculum est, quod Febronius illa solum de *singularibus episcopis*, non *de synodo aliqua* intelligi velit, quando Gelasius propositione universali negativa, seu exclusiva utitur : *nusquam appellari, ad nullius commeare judicium, de ejus judicio nunquam judicari*, prius quoque dixerat, Rom. Pontificem *totam judicare Ecclesiam*, hæc solum *de singularibus episcopis* intelligenda sint, cum tamen aliunde jam cer-

tum erat, quod *singularis* episcopus non possit reformare judicium sui metropolitani, multo minus primæ sedis, quam denique Gelasius jam supra aperte dixerat, habere *jus* etiam *sine synodo absolvendi et damnandi.*

Quare Febronio et suis asseclis aptissime congruunt reliqua adhuc Gelasii P. verba in cit. commonit. in Acacii fautores prolata : *Nobis ausi sunt canonum facere mentionem, contra quos semper ambitionibus inlicitis fecisse monstrantur. — — Sed religiosi viri atque perfecti secundum canones concessam sedi apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, et sibimet eam contra canones usurpare contendunt! o canonum magistros atque custodes! — — ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant, potius cogitantes, Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni B. Petri apostoli inferni portas nunquam prævalituras asseruit : quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi, et majorum et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet etc.* Jam ex dictis patet responsio.

Ad 1 et 2. Speciosa utique non solum verba, sed et pretiosa momenta exhibet Gelasiana epistola, sive singillatim, sive in toto considerentur, quidquid oblatrent Launoius, Dupinius, Bossuetus, novi systematis fabricatores, quibus mox relata Gelasii verba congrue adaptantur. Cæterum, temeritate, vel potius injuria non caret,

quod Febronius refutationem Gelasii non solum offerat, sed et eundem magnum Pontificem cum aliis jam seculo V, in asserenda et exercenda sua protestate de excessu et nimietate postulet. Quæro, quousque per te traditio vetus se extendat, ad quam semper provocas? quandonam incipit, et ubi desinit? num seculum V, ad veteris Ecclesiæ traditionem non amplius pertinet? si ita : tunc hujus temporis praxis et genuina testimonia nobis argumenta atque momenta sunt, non fraudes et fallaciæ, quæ nostris cavillationibus patent. Talia certe contra sanctissimum veteris Ecclesiæ pontificem absque aperta demonstratione asseri non debuissent.

Et quid tandem peccavit Nicolaus I, allegando Gelasii testimonium et verba? tempore Gelasii Isidorus et ejus decretales nondum exstitêre : exstiterunt quidem tempore Nicolai, verum has non citavit Nicolaus, sed Gelasium; ut quid ergo illas immisces? nempe ut Nicolao invidiam pares atque despectum. De cætero, noverit utique Febronius, pro appellationibus Romanis ex antiquitate non sola Gelasii et Nicolai, sed et adhuc plura alia maxime veneranda testimonia haberi, ut Isidori mercibus non indigeamus. Vid. supra § 6, ad num. 3, in not. etc.

Porro si Stephanus Balluzius demonstrat, synodos Gallicanas nullam appellationem a decretis suis ad Rom. Pontificem permisisse, simul etiam demonstret, non solum in his synodis caussam

appellabilem tractatam fuisse, sed eas etiam, nullo præsente vicario vel legato apostolico, aut absque relatione ad sedem apostolicam, vel hujus confirmatione celebratas fuisse; ubi enim ipse Pontifex per suos legatos intererat, vel prævio rescripto inibi tractanda decerneret, vel tractata probaret, utique appellatio vix locum habere potuit, atque frustranea fuisset. Sed quid his opus? Balluzii qualemcunque sive demonstrationem sive observationem penitus evacuat, et falsam esse convincit sola S. Leonis I, epistola 89, ad Galliæ episcopos scripta.

SS. Athanasii, Joannis Chrysostomi et Flaviani provocationes ad sedem Romanam neque fundant, neque supponunt illud jus appellationis, quod sibi Romani tempore Gelasii asseruerunt, aut etiamnum prætendunt.

Videamus, quam infirma sint argumenta, quibus auctor epistolæ Gelasianæ utitur ad probandum ab exemplis et ex disciplina Ecclesiæ id, quod intenditur. *Apostolica*, inquit, *sedes frequenter more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi, quos synodus iniqua damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium synodus orientalis addixerat, quam tamen exceptam sedes apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit.*

Sanctæ memoriæ nihilominus Joannem Constantinopolitanum synodus etiam catholicorum præsulum certe damnaverat, quem simili modo sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit. Itemque sanctæ memoriæ Flavianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes apostolica non consensit, absolvit, potiusque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ sedis præsulem sua auctoritate damnavit. Hæc accurate ponderata nihil efficiunt, sive pro suprema Rom. Pontificis in causis episcoporum judicandi auctoritate, sive pro jure appellationum amplius, quam concilio Sardicensi statutum fuit.

1. Athanasius illegitime, innocens et absens damnatus, non solius Julii Papæ, sed omnium occidentalium, quin et quamplurimorum orientalium et Ægyptiorum sententia, sedi suæ restitutus est. Quippe Imperator Constantinus judicium contra Athanasium latum ratum non habuit: Athanasius non provocavit ad Rom. Pontificem, sed confugit ad Imperatorem, a cujus filiis etiam, non a Papa restitutus fuit. Romam fugit non quasi appellans, sed vim hostium metuens. Item, teste ipso Athanasio apolog. I. 2, Julius ab Eusebianis arbiter electus fuit, sicque *tanquam judex a partibus* electus illos ad se vocare, detrectantes damnare, atque Athanasium absolvere. Neutrum tamen fecit, nec judicium tulit, sed audita Athanasii apologia, suam cum eo communionem confir-

mavit, et pro episcopo habuit. Synodus Sardicensis, ex rescripto Imperatorum, caussam Athanasii retractavit, et restituendum declaravit : is, occidentalium sententia non contentus, etiam orientalium judicium postulavit, et ab his innocens declaratus est. Adde Nat. Alexand. hist. eccles. secul. 4, dissert. 22.

2. Scripsit Chrysostomus in epistola ad Innocentium P. de sua damnatione : *obsecro, ut scribas, quod hæc tam inique facta non habeant robur.* Sed, teste Palladio, eadem epistola ad Venerium episcopum Mediolanensem, et Chromatium Aquileiensem pariter scripta fuit. Igitur non de cassatione judicii orientalis, sed de conservatione communionis cum occidentalibus intelligi debet. Effectus epistolæ S. Chrysostomi tantum fuit, ut Innocentius P. utrique parti, Chrysostomo et Theophilo pares litteras communionis scripserit, improbans quidem judicium Theophili, sed non *forma* aut *via judiciali.* Dein ipse Innocentius in litteris ad clerum Constantinop. apud Sozomenum lib. 8, c. 26, ait, ad juridicam caussæ decisionem *necessariam esse synodi cognitionem.* Hæc multum distant a pretenso jure Pontificis cognoscendi in via et gradu appellationis caussas episcoporum.

Caussæ exitus, teste Bossueto defens. cler. Gallic. lib. 14, c. 11. fuit, ut dum synodus œcumenica ab Arcadio Imp. impetrari non posset, totius occidentis cum apostolica conjuncta sententia profecit, ut Chrysostomi nomen Constantinopoli in

sacras tabulas referretur, ac sine novo judicio, consensione totius Ecclesiæ, Theophili synodus solveretur, nempe eo modo, quo insinuatum est c. 3, § 4, item c. 5, § 4, n. 9.

3. Flavianus in latrocinio Ephesino injuste damnatus ab hoc judicio appellavit, teste S. Leone P., epist. 40, ad Theodos. Imp. de suis legatis ita loquente : *quia et nostri fideliter reclamarunt, et eisdem libellum appellationis Flavianus episcopus dedit.* S. Leo, appellatione interposita, apud Imperatorem postulat generalem synodum necessariam, ut ait, *juxta canonum Nicææ habitorum decreta.* Itaque Leo vigore canonum Sardicensium, quos haud dubie hìc intelligit Pontifex, de caussæ meritis et substantia judicare non poterat, nec ejus judicandæ potestatem sibi arrogavit, et Flavianus non alio fine libellum appellationis consignavit legatis Leonis, quam ut hujus ope obtineret suæ caussæ in legitima synodo retractationem. Confer. Van Espen in comment. posthum. in can. jur. vet. ac nov. Paschas. Quesnell. dissert. 8, de caus. Flaviani tom. II, opp. Leon.

NOTA.

Imprimis auctoritatem Gelasii ut deprimat Febronius, *infirma* vocat ejus *argumenta*, dein ut insolentiam suam aliquatenus obtegat, quasi dubitans de ejus epistola loquitur, auctor, ait, *Gelasianæ epistolæ*, ac si certo *Gelasii* non esset :

verum, rerum gnaris dubium non movebit. Interim jam dixi, testimonium Gelasii de disciplina seculi V, et anteriori ævo tantum est, ut omnem fidem mereatur : exemplis vero et factis, quæ allegat, ipse longe proprior fuit, imo illud Flaviani suo ævo contigit : præterea, eruditione et doctrina clarus historias temporum callebat, atque tunc optime Ecclesiæ faciem perspectam habebat, hinc eidem asserenti, tanquam testi idoneo, prope vel omnino synchrono, sine dubio fides adhibenda erit, adeo ut modernorum argutiæ, qui singulares voculas ad crisin vocant, contra tam clarum et vetus testimonium attendi non debeant, multo minus eidem prævalere, aut quomodolibet enervare possint.

Ad 1. Multa hìc asserit, atque pro certo vendit Febronius : attamen sua asserta nullibi probat, nec nisi unicum ex apologia Athanasii testimonium adfert. Natalis vero, quem citat, eidem plurimum adversatur. Siquidem Natalis Alexander contendit, Athanasium non quidem appellasse, sed a Julio P. caussam ad se evocatam fuisse, Julium caussæ cognitionem suscepisse, et de ea judicasse summo jure. *Julius Pontifex, ait, caussæ Athanasii cognitionem suscepit, de illa judicavit summo jure, et apostolica primæ sedis auctoritate, non vero ut arbiter duntaxat a partibus electus.* E contra, Febronius prætendit, Athanasium nec Romam appellasse, nec a Julio P. caussam ad se evocatam fuisse, eo quod Athanasius Romam ve-

nerit, non quasi appellans, sed metuens vim hostium, et caussa Imperatorum rescriptis et ordinatione, ad quos Athanasius confugit, tractata fuerit; igitur Natalis Febronio non concordat. Attamen, quod Natalem attinet, parum refert, utrum Athanasius vere appellaverit, vel Julius per se caussam evocaverit, atque ad se traxerit, utrobique enim præsupponitur facultas supremo jure judicandi, de qua nobis quæstio est. Qui enim habet jus evocandi caussas, habet quoque jus eas recipiendi et definiendi, et qui evocatur a judice competente, habet etiam jus ad eum recurrendi. E contra, qui caussam non potest cognoscere et judicare, etiam eam ad se evocare non poterit.

Ast nunc videamus, utrum Athanasius ad Julium P. appellaverit, atque an Julius caussam sua auctoritate judicaverit?

Socrates histor. lib. 2, cap. 11, ait : *Athanasius post diuturnos labores ægre tandem in Italiam pervenit. —— Eodem tempore Paulus quoque C. P. episcopus, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, Lucius Adrianopolis alius ob aliam caussam accusati, et ecclesiis suis ejecti —— Julium episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt.* Et cap. 15, *ubi cum Julio Romanæ urbis episcopo caussam suam exposuissent.* Item Sozomenus histor. l. 3, c. 8, *Athanasius Alexandria profugus, Romam venit: eodem tempore Paulus quoque C. P. episcopus eo accessit. —— Episcopus igitur Romanus cum singulorum caussas cognovisset.*

Jam vero, juxta hæc testimonia, Athanasius a synodo Tyria damnatus, Romam venit, ibidem coram Julio episcopo Romano caussam suam exposuit, qui etiam de illa cognovit, atque judicavit, uti mox demonstrabimus. Licet igitur vox grammaticalis, *appellatio*, hìc non legatur, attamen caussam ab uno tribunali ad aliud deferre, eam exponere, ut ubi cognoscatur, et judicetur, quid est aliud, quam appellare?

Si dicas cum Natali Alexandro, Athanasium non appellasse, sed evocatum fuisse a Julio; respondeo ut supra; evocatio non minus ac appellatio supremum jus judicandi præsupponit, et qui caussas evocare, etiam appellare potest, ideoque Febronius ex Natali nihil omnino pro sua sententia lucratur. Dein, testibus iisdem Socrate et Sozomeno, eodem tempore quinque alii episcopi Romam pervenerunt, caussam suam coram Romano episcopo exponentes, qui etiam ab eo judicati fuerunt. At hi episcopi nullibi evocati leguntur a Julio P.; igitur appellantes venerunt. Habes ergo simul quinque appellantes episcopos eodem tempore, quo tu appellationem Athanasii negare contendis, et quibus jam ante concilium Sardicense appellationes Romanæ abunde probantur. Dum vero iidem auctores de Athanasio pari modo, ac de reliquis episcopis loquuntur, ultro sequitur, eum non minus, ac illos vere appellasse.

Neque tantum appellavit Athanasius, sed et

Julius P. ejus caussam suprema auctoritate judicavit. Sic enim ait Socrates histor. l. 2, c. 15. *Ille* (Julius) *quæ est Romanæ Ecclesiæ prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in orientem remisit, singulis sedes suas restituens.* Sozomen. l. 3, c. 8, *quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum* (Julium) *spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit.* Imo audiamus ipsum Julium P. epist. 4 ad Eusebianos : *cum igitur istiusmodi allegarentur, et tot testes pro Athanasio starent, et ipse tam justa pro se afferret, quid, quæso, nos oportuit facere? an non quod ecclesiastici canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus.* Item idem Julius ad eosdem : *an ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est, definiri possit. Quapropter si istic hujusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id huc ad nostram Ecclesiam referri debuit.* Et Sozomen. cit. l. post jam relata verba : *scripsitque ad episcopos orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de his viris judicassent etc.* Porro accusationes audire, testes et argumenta ponderare, caussam examinatam ad regulam ecclesiasticam decidere, nonne hoc verum et legale judicium est? quin et in tantum hoc judicium sibi reservabat Pontifex ut Eusebianos etiam increpasset, quod, eo inconsulto, in episcopos sententiam dicere ausi fuissent, et ideo declaravit, *eadem quæ Tyri et Mareote ad-*

versus Athanasium decernebantur, iniqua et irrita esse. Hæc si non sufficiunt ad ostendendum, quod Julius caussam Athanasii vere judicaverit, audi totum concilium Sardicense in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam. Quod de hoc judicio testimonium reddit, sed laudat etiamnum; sic enim habet : *qua ex re æquitas N B. judicii fratris et coepiscopi nostri Julii liquidissime apparuit, qui non temerario consilio, sed cum matura deliberatione NB. sententiam tulit, adeo ut nihil relinquatur dubii de communione fratris nostri Athanasii.*

Ad hæc tam certa, tamque clara, quid respondet Febronius? Julio tantum *arbitrium* a partibus, non proprie judicium concessum fuisse : illa, quæ egit tantum intelligi debere de *communione*, quam Athanasio concessit : caussam non Romæ a Julio, sed in *concilio Sardicensi* terminatam fuisse. *Idem* tom. II, pag. 11, *etc. etc.* At quantumcunque jactanter in caussa Athanasii et appellationum Romanarum ubivis hæc repetat Febronius, nihilominus frivola et falsa sunt omnia. Equidem Athanasius in apolog. scribit : *Eusebiani ipsi Julio, si vellet, arbitrium caussæ detulerunt*, sed non ait, etiam se Julium *tanquam arbitrum* sibi elegisse, ita ut *a partibus* electus fuerit arbiter, neque Julius caussam *tanquam arbiter* suscepit, et ad se traxit, sed Eusebianis ostendit, sibi harum caussarum cognitionem non *tanquam arbitro*, sed jure et ex

officio deberi; quippe tum Julii verba, tum testimonia a nobis supra allata manifeste non merum *arbitrum*, sed proprie *judicem*, qui propria auctoritate judicat, loquuntur. Socrates et Sozomenus auctoritatem hujus judicii non in *arbitrio partium*, sed in Romanæ *sedis dignitate et prærogativa* collocant. Ipse Julius in tantum arbitrio nihil detulit, sed judicandi auctoritatem in hac caussa sibi soli sic vindicavit, ut etiam Eusebianos redargueret, quod eam prius, se inconsulto, in concilio suo tractare ausi fuissent: *an ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur etc.* ut supra.

Neque evadit Febronius, quando tom. IV, part. 2, pag. 210, cum P. Coustant ait, illa Julii verba tantum de episcopo et Ecclesia Alexandrina, propter specialem cum Romana confœderationem, intelligenda esse; nam 1. eo ipso fatetur, judicium episcopi Alexandrini ad Papam pertinere, ideoque Julium *jure* judicasse caussam Athanasii. 2. Illa relatio vel connexio Ecclesiæ Alexandrinæ cum Romana huc nihil refert, neque propter hanc connexionem speciale quid in aliquo concilio vel canonibus Rom. Pontifici assertum, confirmatum vel tributum esse legitur, atque auctores citati judicandi auctoritatem non speciali inter has ecclesias confœderationi, sed soli Romanæ sedis prærogativæ tribuunt. Vid. supra c. 4, § 4, in not. 3. Julius illa verba utique de Ecclesia Alexandrina profert, Eusebianos redarguens,

quod ipsi, tanquam minores episcopi, nullam omnino in patriarcham Alexandrinum jurisdictionem haberent, nihilominus etiam illos ob depositionem et ejectionem aliorum episcoporum accusavit, horum ad se recurrentium judicium sibi eodem loco vindicat, quos etiam pari modo innocentes declaravit, atque sedibus suis restituit : quippe cit. epist. ait : *hæc scribo vobis, non ut eorum* (episcoporum) *caussam agam, sed ut vobis fidem faciam, nos jure et canonice viros illos suscepisse.* Et Sozomenus histor. l. 3, c. 7, ait : *cum per sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit, scripsitque ad episcopos orientis, eosque incusavit, quod inconsulto de hisce viris judicassent etc.* Igitur Julius non de solo Athanasio loquitur, non hujus solius judicium sibi vindicat, neque hujus solius caussam cognoscit, judicatque.

Dum vero ait Febronius, verba Julii tantum de communione Athanasio concessa intelligenda esse, dico, utique de communione, attamen non cum sola Ecclesia Romana, verum cum tota Ecclesia intelligenda esse, ad quod tamen necessarium erat, ut Athanasius a concilio orientali damnatus, prius innocens, et judicium contra ipsum latum irritum declaretur, adeoque in eum finem judicio et judice, qui Julius fuit, opus erat. Imo Julius P. eundem non tantum communioni totius Ecclesiæ, sed etiam sedi suæ re-

stituit, testibus Socrate et Sozomeno, sicque caussa ejus revera Romæ a Julio ea vice terminata fuit. Idipsum testatur Nicephorus Callistus hist. eccles. l. 6, c. 8, *horum* (Athanasii et aliorum episcoporum) *caussa Julius antistes Romanus cognita — — communione eos est dignatus. Pro amplitudine autem sedis suæ, ex veteri privilegio et prærogativa persuasum habens, omnium ubique episcoporum curam et judicium ad se pertinere, datis cuique liberrime scriptis litteris, suas eis ecclesias reddidit, eosque in orientem remisit, eos qui temere illos exauctorassent, perstringens. — — Athanasius, et qui cum eo erant, missis ad orientales episcopos litteris, ecclesias suas receperunt.* Quare a Julio P. tota caussa judicata, sententia lata et executioni data, ideoque ante concilium Sardicense terminata fuit; quippe Julius Athanasium et episcopos, cognita et judicata eorum caussa, non solum ad communionem recepit, sed, datis ad orientales litteris, eis sedes suas restitui jussit, quod etiam illi, acceptis antistitis Romani litteris, licet ægre ferentibus Eusebianis, præstiterunt, hancque Julii *sententiam* et *judicium*, prout vocant Patres Sardicenses, iidem postea in sua synodo laudaverunt. Hæc igitur caussa prior non in synodo Sardicensi terminata fuit; sed cum rursus ab Eusebianis in Athanasium a Julio P. jam restitutum novæ machinationes, novæ accusationes obortæ sunt ita, ut iterum a sede sua fugere compulsus fuerit, qui-

bus denuo examinatus in concilio Sardicensi, attamen non sine sedis Romanæ cognitione et consensu, rursus restitutus fuit.

Ad 2. Joannes Chrysostomus, teste Palladio, synchrono et Joanni Chrysostomo, amicissimo ad Innocentium P. sic scripsit : *scribite, precor, et auctoritate vestra decernite, hujusmodi inique gesta, nobis absentibus et judicium non declinantibus, nullius esse roboris. Porro qui talia gessêre, eos Ecclesiæ censuræ subjicite : nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque ullius criminis reos comprobatos, ecclesiis nostris jubete restitui.* Dein idem Chrysostomus in 2, epist. ad Innocent. P. rogat, ut inimicos suos, si resipiscant, mitius puniat : *vestram oro vigilantiam, ut licet omnia tumultibus impleverint, si tamen morbo curari voluerint, ne affligantur, neque e cœtu ejiciantur.* At illa sunt utique verba ab iniquo judicio ad altius tribunal appellantis, et non solum justitiam pro se, sed et condignam satisfactionem ac pœnam contra iniquos judices postulantis ? et quantam auctoritatem Chrysostomus in his verbis tribuit Romano Pontifici ? nempe retractandi et irritandi judicium synodale a magno patriarcha et plurium provinciarum episcopis celebratum, hos ipsos judices episcopos puniendi, atque censuræ subjiciendi, denique seipsum in patriarchalem sedem restituendi, quæ omnia non nisi supremæ in Ecclesia jurisdictioni competere possunt.

Multum intererat Febronio, hoc testimonium Chrysostomi a Rom. Pontifice amoliri, ideo somnia Dupinii et Basnagii sequens ait, eandem epistolam non soli Innocentio P., sed aliis quoque Italiæ episcopis inscriptam fuisse. Verum, adhuc probandum restat, quod *eandem epistolam* Chrysostomus miserit episcopis Mediolanensi et Aquileiensi : easdem res scripsisse conceditur, eandem scripsisse non legitur. Pariter Dupinio onus probandi incumbit, in epistola ad Innocentium P. interpolata esse verba : *auctoritate vestra decernite, nos jubete restitui.* Non enim respublica litteraria viros hos Pythagoræ loco habet, ut quidquid Dupinius, Quesnellus, Basnagius, de Marca, vel potius hujus continuator Balluzius dicunt, ratum habeatur.

Sit ergo, quod Chrysostomus etiam illis episcopis scripserit, quod utique in Palladio legitur, hoc non obstante, certum est. 1. Quod illa epistola, quæ exstat apud Montfauconium tom. III, pag. 515, et etiam apud Harduinum tom. II, concil. col. 1291 etc. atque cum illa supra ex Palladio citata quoad sensum concordat, signanter inscripta fuerit soli Innocentio Papæ. 2. Quod unicus locus hujus epistolæ sit, ubi Chrysostomus plures alloqui videtur, nempe ubi ait : *igitur Domini mei maxime venerandi et pii, cum hoc ita se habere didiceritis etc.* Verum in epistola pathetica licet utique quandoque verba ab uno ad alios quoque vertere, quos etiam de summa rei auctor instructos esse cupit :

hæc igitur verba non ad solum Papam, sed et clerum Romanum huic considentem directa fuisse, satius videtur, præcipue dum pro more illorum temporum talibus titulis non episcopi, sed inferiores in clero et presbyteri honorarentur. 3. Post hæc verba, uti videtur, ad plures directa, mox ubi auctoritatem interpellat, atque judicium exposcit Chrysostomus, ipso fatente Febronio, ad solum Innocentium P. verba dirigit, distincte in singulari loquens : *obsecro, ut scribas, quod hæc tam inique facta, et ab una solum parte, absentibus nobis et non declinantibus judicium, non habeant robur : illi autem, qui adeo inique egisse deprehensi sunt, pœnæ ecclesiasticarum legum subjiciant.* 4. In conciliis Labbei, qui hanc epistolam sine dubio ex genuino et originario fonte archivi Vaticani produxit, ibi in eadem nihil memoratur, quod etiam ad Venerium et Chromantium scripta sit, sed finitur inscriptione ad solum Papam, *Domine honoratissime et sanctissime.*

Ex his sequitur, a S. Chrysostomo saltem non eandem epistolam simul Innocentio P., Venerio atque Chromantio scriptam fuisse.

Dum vero Chrysostomus ait : *Nobis vero——litteris vestris et charitate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet et antea societate fruebamur, frui concedite.* Febronius ex iis verbis fallaciter infert, Chrysostomum hæc ad alios quoque dixisse atque tantum petiisse, *ut singuli scribant*, acta non habere robur, et ut sibi ab occidentalibus non

denegetur, sed potius confirmetur *communio*. Sed quid obstat, illa verba ad solum Innocentium P. cum suo clero, seu ad Ecclesiam Romanam scripta fuisse? notum est, orientales in hoc tantum præcipue allaborasse, ut *communionem* cum Ecclesia Romana et sede apostolica, tanquam centro unitatis totius Ecclesiæ tenerent, quod sufficeret, ut cum tota Ecclesia in communione esse censerentur: hinc est, quod ab Innocentio P. peteret Chrysostomus, ut ei *aliorum* quoque *omnium societate* seu communione *frui concedat*. Quis enim alius episcopus *aliorum omnium* communionem concedere poterat, præter Romanum Pontificem? ideo verba illa manifeste ad hunc solum, seu Ecclesiam Romanam pertinent.

Verum est ergo, quod Chrysostomus petierit, ut ei ab Innocentio, et per hunc ab occidentalibus confirmetur communio: sed neque in hoc tantum ejus stetêre preces; quippe non hoc solum petiit, sed insuper, atque prius jam rogaverat, ut judicium contra ipsum latum declaretur nullum; hoc autem non *a singulis*, uti falso innuit Febronius, sed signanter a solo Innocentio petiit: *obsecro, ut scribas etc.*, quæ verba, fatente Febronio, ad Pontificem direxit Chrysostomus.

Et revera hanc auctoritatem in solo Rom. Pontifice recognovisse Chrysostomum, manifestius adhuc patet ex eo, quod non tantum illa verba ad solum Innocentium scripserit, sed etiam ad

hunc solum legationem miserit, et quod solus Innocentius, teste Palladio in dialogo, *Theophili judicium cassum atque irritum esse decreverit.* Nullibi enim legimus, ad Venerium et Chromantium legationem missam fuisse, neque istos damnationem Chrysostomi irritam declarasse. Hinc patet, Chrysostomum non tantum expetiisse judicium Rom. Pontificis contra injustam synodi damnationem, sed et ab Innocentio sententiam latam fuisse.

Nec refert, quod illa verba et testimonium Palladii in versione Bigotii non habeantur; quippe non solum leguntur in Ambrosio Camalduensi, veteri Palladii interprete, sed etiam apud Facundum, episcopum Africanum, supparem in præclaro illo opere pro defensione trium capitulorum, quod Sirmondus anno 1629 evulgavit, et eruditis notis illustravit lib. 6, cap. 5.

Falsum ergo, quod Dupinius scribit, nullum omnino alicujus fidei scriptorem prodidisse memoriæ, aliquod decretum ab Innocentio emissum, ad irritandum Theophili judicium latum.

Futile quoque est istud, quod Febronius ait, Innocentium quidem judicium Theophili improbasse, *at non forma et via judiciali.* Utique manifestum erat, Theophilum Alexandrinum cum suæ factionis episcopis nullam habuisse jurisdictionem in patriarcham Constantinopolitanum, hunc absentem et inauditum judicatum et condemnatum fuisse, quam exceptionem Chrysosto-

mus eidem facta citatione mox opposuit, atque in epistola ad Innocentium etiam allegavit; dum igitur illud judicium defectu substantiali et insanabili, nempe a judice non competente, atque contra formam legitimam latum sit, sufficiebat ab eo, qui supremam in Ecclesia auctoritatem habebat, decretum irritans emanari, atque tale judicium, sententiamque nullam declarari, quin alia ad hoc forma aut processu judiciali opus esset, atque hoc ipsum est, quod ab Innocentio petiit Chrysostomus, testeque Palladio, summa auctoritate præstitit Pontifex.

Ast repetes : quare ergo Chrysostomus adhuc aliis in Italia episcopis scripsit? quare Innocentius ipse dixit, ad caussæ decisionem *necessariam esse synodi cognitionem?* et quare Theophilus contra Chrysostomum, non attento Innocentii decreto, nihilominus tanquam contra depositum processit?

Ad 1. Respondeo, quando Chrysostomus credidit, nec primum in oriente patriarcham cum tot episcopis ex Ægypto et Asia in synodo congregatis ullam in se habere jurisdictionem, certe talem etiam non recognovit in duobus episcopis Italis, qui particulares tantum regebant ecclesias. Non igitur ab his exspectavit judicii cassationem et sententiam, sed a solo Papa, a quo solo per litteras rogavit, *ut scribas, obsecro, quod hæc tam inique facta non habeant robur etc.* Scripsit nihilominus iis Chrysostomus, ne forte de sua damnatione et depositione certiores facti præ-

propere a sua communione recederent, aut si fors Innocentius eos in consultationem vocaret, sui patrocinium susciperent. Ad 2. Quia Innocentius prævidebat, neminem in oriente esse, qui suum decretum, quamvis sigillo supremæ auctoritatis munitum, contra Theophilum et rebelles episcopos executioni daret, et Chrysostomum restitueret, tum quia ipse Arcadius Imperator cum Eudoxia contra Chrysostomum stabant, quorum favore tutus erat Theophilus, tum quia episcopi Chrysostomo faventes etiam passim a suis sedibus ejiciebantur, aliique sancto viro adhærentes persecutionem pati et latebras quærere debebant, ideo synodum necessariam esse duxit, non quasi sine hac ipse non polleret decidendi facultate; quippe contumaces, refractarii atque seditiosi supremo judici jus suum adimere non possunt, neque ex horum resistentia carentia jurisdictionis comprobatur : sed ut ex una parte iniquitas judicii, ex altera vero innocentia Chrysostomi palam detegatur, sicque eo certius omnibus pateat, tot tumultus compescerentur, et obstinati eo efficiacius reprimerentur. Hinc Ad 3. Mirum non est, quod Theophilus a male factis non cessaret, cum in oriente non haberet, quem timebat, et qui eum reprimeret, omnium autem malefactorum et rebellium, qui sibi male conscii condignas pænas metuunt, hæc mens est, quod legitima judicia spernant ut ea effugiant, et telam semel cœptam prosequantur, ne errasse videantur.

Interim concilium nihilominus celebratum non fuit, impediente id Arcadio Imperatore, sed tota caussa a solo Romano pontifice Innocentio suprema auctoritate tandem finita fuit. Quippe hic Pontifex non tantum Theophilum patriarcham Alexandrinum et Atticum Constantinopolitanum post Chrysostomum intrusum, sed etiam ipsum Arcadium et Eudoxiam Augustos, præcipuos hujus tragædiæ auctores et actores, S. Chrysostomo interim satis functo, excommunicavit. Sic enim, teste Niceph. histor. eccles. l. 13, c. 34, Innocentius P., missa ad Arcadium et Theophilum epistola, auctoritative pronuntiat. *Itaque ego minimus et peccator, cui thronus magnus apostoli Petri creditus est, segrego et rejicio te et illam* (Arcadium et Eudoxiam) *a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri: episcopum etiam omnem aut clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse, decerno. Quod si, ut homines potentes, quemquam ad id vi adegeritis, et canones vobis a servatore per sanctos apostolos traditos transgressi fueritis, scitote non parvum id vobis peccatum fore in horrenda illa judicii die. —— Arsacium, quem pro magno Joanne in thronum episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, una cum omnibus, qui consulto cum eo communicarunt, episcopis, cujus etiam nomen sacro episcoporum albo*

non inscribatur. —— *Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, et absolutam a Christianismo alienationem.* Hæc consulto prolixius exscribenda duximus, utpote quæ Febronium in multis confundunt atque refellunt. Siquidem incidenter advertendum est. 1. Innocentium Rom. Pontificem etiam Imperatorem orientis, pacem Ecclesiæ turbantem, excommunicasse. 2. Et quidem excommunicatione *proprie* dicta atque vero anathemate, uti ex verbis satis liquet, non mera *negatione communionis*, quo sensu veterum Rom. Pontificum excommunicationes exponere contendit Febronius. 3. Hìc aperte etiam statuitur pœna depositionis *latæ sententiæ* in eos, qui posthæc sacra mysteria Augustis ministrarent. Pariter, præter *depositionem*, etiam *excommunicatio proprie* dicta in Theophilum lata apparet patriarcham orientis, atque depositio Arsacii et omnium cum eo consulto communicantium episcoporum. 4. Has censuras Innocentius pronuntiat, decernit absque concilio suo nomine et auctoritate. Per hæc igitur, quæ Febronius cap. 3, 4 et 5, et alibi contra excommunicationes, præcipue latæ sententiæ, depositiones et jurisdictionem Romanorum Pontificum dixerat, satis convelluntur, atque ipse falsi convincitur.

Porro quod amplius ad quæstionem nostram, quam hìc tractamus, attinet, ex omnibus hactenus recensitis patet, Joannem Chrysostomum ad

Innocentium P., post suam iniquam damnationem, sic appellasse, ut ab illo peteret cassationem judicii contra ipsum lati : *obsecro, ut scribas, quod hæc tam inique facta non habeant robur.* Innocentius autem, teste Palladio, revera Theophili *judicium cassum et irritum esse decrevit*, quin et eum exauctoravit : *ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem.* Quis igitur Theophilum abrogavit, si id non egit Innocentius? quare verum est, quod Gelasius P. dixit : *Sedes apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit,* nempe iniquum judicium cassando, irritando. Quamvis autem Innocentius ad tot tumultus compescendos, persecutiones finiendas, Theophili pertinaciam frangendam adhuc existimaret, synodum convocandam esse, scilicet pro temporis et circumstantiarum, non pro judicii, auctoritatisque necessitate, nihilominus etiam sine hac tota caussa sola apostolicæ sedis auctoritate terminata fuit; non quidem, uti Bossuetus ait, quasi Pontifex negative tantum se habuerit, non communicando cum Theophilo, ejusque sectatoribus, et solum propter sententiam occidentalium *sine novo judicio* tandem *consensione totius Ecclesiæ, Theophili synodus solveretur :* sed auctoritative processit Innocentius, scilicet Theophili judicium per decretum irritando, tum eundem cum Arcadio, Eudoxia excommunicando, reliquos vero episcopos et clericos Chrysostomi inimicos a sua communione excludendo, quæ omnia

sine jurisdictione Innocentius perficere non potuit, nec plura aut alia in concilio œcumenico perfici potuissent. Nam cassare et annihilare orientalis ecclesiæ sanctiones, judicia et concilia contra Chrysostomum facta, eandem Ecclesiam a communione sedis apostolicæ sejungere, ex adverso orientales ecclesias veniam et pacem petere ab Innocentio, et se ejus decreto subjicere, prout factum fuisse testatur Bonifacius P., subferre abrogationem propriarum synodorum contra Chrysostomum coactarum, num hæc omnia sine jurisdictione proprie tali et suprema fieri potuissent? num concilium amplius quid, vel majori cum auctoritate gerere valuisset?

Ad 3. Febronius admittit, Flavianum primo *appellasse*, dein libellum appellationis ab eo legatis Rom. Pontificis traditum fuisse. Admittit, inquam, quia testimonia tam clara et certa negare non potest. Dum igitur verba inficiari nequit, saltem aliunde, auctoribus Quesnello et Van Espen, sensum depravare studet. Post appellationem interpositam, S. Leo P. concilium necessarium esse duxit secundum canones Sardicenses, hinc Febronius mox concludit, Flavianum ideo tantum libellum appellationis legatis Leonis consignasse, ut hujus ope in synodo obtineret caussæ suæ retractationem, atque S. Leonem vigore canonum Sardicensium agnovisse, se caussam Flaviani non posse judicare, neque hanc potestatem sibi arrogasse.

Ast primo videbimus, quæ mens, finisque Flaviani fuerit, qui appellationis libellum tradidit S. Pontificis legatis? prius epistola 1. ad Leon. P. scripserat : *caussa eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere : sic enim hæresis et turbæ, quæ propter eum factæ sunt, facillime destruentur, Deo cooperante, per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem et concilium, quod fieri divulgatur.* Hæc scripsit Flavianus ad Leonem, postquam in concilio damnaverat Eutychetem, et hic cum Dioscoro et fautoribus novum concilium urgebat. Si itaque Flavianus in his circumstantiis post damnationem Eutychetis in synodo provinciali factam, ad hæresin penitus destruendam, et turbas inde exortas facilius sedandas credidit, auctoritatem Rom. Pontificis non tantum sufficientem, sed et necessariam esse, imo tunc concilium omnino superfluum fore, num idem Flavianus, post iniquam sui exauctorationem a Dioscoro factam, existimavit, auctoritatem Rom. Pontificis minorem fore, aut concilium magis necessarium? certe Flavianus ad Rom. Pontificem appellavit, ad concilium aliquod appellasse nullibi legitur, atque jam prius suam caussam cum Eutychete et hujus fautoribus *a solo* Rom. Pontifice, non vero *a concilio* voluit decidi, uti ex supradictis verbis manifestum est.

Quando autem post hæc S. Leo dixit, conci-

lium esse necessarium, anne inde sequitur, Flavianum ad concilium appellasse, vel ad hoc suam caussam deduci voluisse? neutiquam : ad solum Leonem appellavit. Et si S. Leo dixit, concilium esse necessarium, obtendens Nicæna, seu Sardicensia decreta, anne inde sequitur, ipsum caussam Flaviani dijudicare non potuisse? neque hoc sequitur. Et Flavianus credidit, Leonem P. suam caussam judicare posse, quia ad eum appellavit, et Leo P. hoc credidit, quia appellationem recepit. Ergo a voluntate S. Leonis pendebat, utrum caussam Flaviani in suo tribunali, vel in concilio decidere vellet, et dum concilium præelegit, atque hoc necessarium esse dixit, id non intelligit de necessitate absoluta, sed secundum præsentes circumstantias, in quibus ipsum longe aliæ rationes movebant ad convocandum concilium secundum Sardicensis concilii canones, quam sola caussa Flaviani præcise in se spectata. Quippe sanctus Pontifex in epist. ad Imp. ait : ut concilium *omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum.* At omnes offensiones tollere, ubivis charitatem inducere, præcise per judicis sententiam non obtinetur : aliud quippe est, litem decidere, aliud insuper pacem, unionem atque charitatem inter partes litigantes inducere.

Cæterum, in eadem prædatoria synodo, qua Flavianus, etiam Theodoretus Cyri episcopus a

Dioscoro depositus fuit : etiam hic, sicut Flavianus, appellavit, attamen, uti clare patet ex ejus verbis epist. inter Leonin. 52, non ad aliquod concilium, sed præcise ad solum Leonem Papam, tanquam legitimum suæ appellationis terminum et judicem. *Apostolicæ vestræ sedis exspecto sententiam, et oro, atque obtestor*, ait, *sanctitatem tuam, ut mihi rectum ac justum judicium tribunal vestrum invocanti opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhærentem ostendere.* — — Num putas, Flavianum eodem tempore, atque in eadem caussa et damnatione implicitum alio fine aut sensu ad S. Leonem Rom. Pontificem appellasse? jam quid amplius desideratur? Theodoretus præcise *ad tribunal Pontificis* appellavit, atque hujus solummodo *sententiam exspectavit :* Flavianus eodem tempore ad hoc tribunal appellavit, qui prius per hujus sententiam etiam *concilium removeri* posse edixit : ergo uterque, non obstante concilio Sardicensi, tantam Rom. Pontifici auctoritatem inesse censuit, ut non solum appellationes a synodis factas recipere, sed etiam sine synodo dijudicare possit.

Non est igitur, ut ad ea respondeamus, quæ de concilio Sardicensi addit Febronius, utpote jam supra § 6, in not. satis explosa.

Post hæc non modo verum est, sed etiam solum sufficeret Gelasium tantum Pontificem dixisse, hos tres Athanasium, Joannem Chrysostomum et Flavianum ad sedem Romanam appellasse, ab ea-

que sola absolutos fuisse. Post tantum enim, tum auctoritate, tum ætate præcellens testimonium, non amplius audiri merentur novissimæ crises, somnia et inanes argutiæ Febronii, aliorumque sui similium. Ipsi prætendunt, in talibus controversiis semper necessariam esse cognitionem concilii : at quare in caussa Chrysostomi et Flaviani concilium coadunatum non fuit? nempe, quia ab Arcadio et Theodosio juniore Imperatoribus facultas illud convocandi impetrari non potuit; etenim nihil aliud respondere valent. Ergo in arbitrio principis secularis, modo Ethnici, modo hæretici, aliquando schismatici, vel aliunde Ecclesiæ aut ecclesiasticis non bene affecti repositum est, concedere tribunal pro recto regimine Ecclesiæ necessarium et inappellabile? Ergo Ecclesia per se non semper modum et potestatem expeditam habet, peremptorie decidendi caussas, finiendi controversias in fide, quæ ordinem ac regimen Ecclesiæ tangunt, reducendi pacem et unionem, absque interventu et assensu potestatis externæ, ad quam D. Paulus ne quidem dissidia fratrum christianorum deferri voluit? Ad hæc et similia Febronius atque Bossuetus nondum responsa dederunt.

§ X.

Appellationum Romanarum incommodis synodus Basileensis remedium attulit.

Idem fecêre concordata Galliæ et Germaniæ.

Illud, quod concilio Tridentino præscriptum fuit, insufficiens est.

Falsarum decretalium sequelæ adeo intolerandæ omnibus visæ sunt, ut dum illæ ob defectum artis criticæ penitus everti non possent, eas saltem temperandas esse, bonis omnibus videretur. Igitur in concilio Basileensi sess. 31. *Decret. de caussis § quæ attendens. et § si vero quispiam.* constitutum est, ut in partibus ultra quatuor Diætas a Romana curia distantibus omnes caussæ (exceptis majoribus in jure expresse nominatis, et electionum ecclesiasticarum, nec non monasteriorum sedi apostolicæ immediate subjectorum) apud eos judices in partibus terminarentur, et finirentur, qui de jure aut consuetudine præscripta, vel privilegio caussarum hujusmodi cognitionem habent, utque, si quis a sedi apostolicæ immediate subjecto ad eandem sedem appellaverit, caussa *per rescriptum in partibus* committatur usque ad finem litis. Quidquid autem in contrarium factum vel obtentum fuerit, sit ipso jure nullum, et impetrans in expensas condemnetur.

Hæc Basileensis concilii decreta inserta sunt pragmaticæ sanctioni Galliæ tit. 4, de caus. § 1, 2 et 5. Item paululum immutatis verbis in concordat. Galliæ tit. 26, *de caussis.* et tit. 28, *de exempt. appellat.* atque in Gallia religiosissime observantur. Eadem Germania publice acceptavit sub Alberto Rege in concordat. Principum de anno 1439 et solemni pacto cum sede apostolica sibi non tantum fecit approbari, sed et in concordatis Aschaffenburgensibus salvari. Vid. *Concord. nation. German. integra.*

1. Qualiter Basileensia decreta sub Alberto Rege die 26 Martii anno 1439. Moguntiæ a statibus imperii recepta et acceptata fuerint, narrant Raynaldus in annal. ad hunc annum, n. 19, Harzheim concil. Germ. tom. V, in instrumento acceptationis apud integ. concord. auctorem inter alia etiam cavetur, *acceptamus similiter ultimum decretum* 31 *sessionis disponens de caussis, et de appellationibus, quod incipit : ecclesiasticæ sollicitudinis studium.* Eugenius IV, 5 Febr. anno 1447. Nationi Germanicæ indulsit, ut hoc decretum sess. 31 servetur, usque dum cum eadem natione aliter conventum, vel in futuro concilio generali aliud ordinatum fuerit. De Senckenberg Recess. Imp, part. 1, pag. 174. Harzheim tom. V, p. 301.

2. Eugeniana hæc concessio a Nicolao V, mox initio sui Pontificatus confirmata fuit. Vid. Raynald. ad ann. 1447, neque per concordata Aschaffen-

burgensia anno 1448, sublata, sed expresse confirmata est circa finem his verbis: *in aliis autem, quæ per fel. record. D. Eugenium Papam IV, pro natione præfata usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta, atque decreta, et per memoratum Sanctissimum Dominum nostrum Papam Nicolaum confirmata fuêre, in quantum illæ concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil exstitit immutatum.*

3. Sæpissime concordatis Germaniæ contraventum fuit, dum Romani non tantum prorogationes privatorum admitterent, sed et subinde compellere vellent partes, ut in caussis non majoribus litigarent; sed publico nomine nunquam cessum fuit. Quare anno 1457, cancellarius Moguntinus Meyer epist. ad Æneam Sylvium conquestus est, *quod caussæ, quæ in partibus tractandæ, terminandæque fuerant, ad apostolicum tribunal indistincte trahantur.* In gravaminibus nationis Germanicæ de annis 1510 et 1518 legitur. *Caussæ, quæ in Germania, in qua etiam docti et justi sunt judices, terminari poterant, ad tribunalia trahantur.* Anno 1522, legatus Pontificius promittere debuit remissionem caussarum Germaniæ in rota Romana admissarum. Lunig. spicileg. eccl. part. 1, pag. 389. Inter alias juratæ singulæ capitulationes Cæsareæ de non admittendo contraventiones contra concordata principum sunt tot iteratæ salvationes publicæ adversus illegitimas hujusmodi contraventiones, atque in tali casu

cuivis privato a concilio imperiali aulico auxilium præstandum foret. Recte etiam monet Gregor. Zallwein, cavendum esse, ne qualiscunque caussa ad curiam Romanam devolvatur, quæ Romanas quomodocunque respicere posset reservationes, quia secundum has decideretur. Inter alias sunt sequentes : Pius V reservavit beneficia hæreticorum, recepta per confidentiam simoniacam, parochias extra concursum collatas. Alexander VI, beneficia eorum, qui litigantes in curia offendunt. Gregorius XIII, beneficia resignata, quorum resignationes non sunt publicatæ. Item regulæ cancellariæ a 2 usque ad 9 et 15, 18, 19.

4. Pro restrictione appellationum in Tridentino vide Van Espen, part. 3, tit. 10, cap. 1, tandem sess. 24. cap. 20, de reform. hunc modum posuit : *ne appellationes ab ordinariis interpositæ per superiores quoscunque recipiantur, earumque commissio aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, et cum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.* Merito dubitatur, utrum hoc synodi decreto abusibus appellationum satis provisum sit, cum raro fieri possit sententia interlocutoria, quæ non in se contineat gravamen irreparabile, a qua non possit appellari. Boehmer jura eccles. protest. l. 2, tit. de appellat. §. 10.

NOTA.

Ad quid ista? de jurisdictione Rom. Pontificis nobis sermo est, pro qua comprobanda etiam jus recipiendarum appellationum, et caussas definiendi a nobis asseritur. Nunc, relicta quæstione juris, ad quæstionem facti, ad modum, nimietatem, excessus avolas : attamen et in hoc sequimur. Concilium Basileense, quod hìc in medium profert Febronius, nullius esse auctoritatis, ac præcipue tempore sessionis 31, œcumenicum non fuisse, sed jam in conciliabulum schismaticum et reprobum abiisse, omnibus notum est, et inferius liquido demonstrabitur. Verum est : natio Gallica et Germanica decretum illud acceptarunt, sed vim legis conciliaris per se non habuit, neque habere potest, atque ab effectu patuit, nationes huic decreto robur et firmitatem non a concilio quæsiisse. Equidem dum Basileense concilium se a suo legitimo capite abscindebat, atque schisma conflabat, eidem plurimum intererat, adhærentes sibi et faventes tenere nationes ac principes, ideoque talia in medium proferebat, quæ his maxime arridebant, et quibus has sibi devinciret : nationes vero hac occasione utentes talia decreta contra appellationes, reservationes, provisiones Papales, contra quas multæ querelæ agitabantur, ultro amplexatæ fuerunt. Attamen auctoritas concilii hujus in tantum non

suspiciebatur, quin Carolus VII, Galliæ Rex, quamvis in conventu Bituricensi 38, hujus concilii canones, et inter hos etiam illud decretum sessionis 31, famosa illa sanctione pragmatica firmaret, in qua etiam art. 2 statuebatur, Basileensis concilii auctoritatem fore perpetuam, nihilominus quosdam articulos non solum modificaverit aliter, quam in concilio statutum fuerat, sed etiam ea, quæ concilium egit in deponendo Eugenio Pontifice, noluerit consentire, imo ad disturbandum hoc conventiculum Ludovicum filium ad fines Basileensium cum copiis miserit. Successor vero Caroli Ludovicus XI, anno 1462, rescidit istam sanctionem pragmaticam, tanquam seditionis et schismatis tempore latam ad infringendam sedis apostolicæ auctoritatem, et tandem anno 1516, illa abrogata inter Leonem X et Franciscum I, *concordatum* erectum fuit.

Natio vero Germanica eidem decreto tantum roboris et auctoritatis inesse non censuit, ut plenum et legitimum sortiretur effectum, nisi etiam ab ipsa sede apostolica confirmaretur; hinc est, quod ad Eugenium IV et Nicolaum V, pro eo confirmando legatos miserit, atque legati Pontificii cum natione Germanica circa hæc puncta, pactis certis modificationibus, concordarent, quæ dein a summis Pontificibus confirmata sunt.

Ex his patet, illa decreta suam vim et auctoritatem non a concilio, sed primum postmo-

dum ab auctoritate compaciscentium, et præcipue Romani Pontificis, ubi in Bullis *indulta*, *concessa* vocantur, etiam ex mente ipsarum nationum obtinuisse. Quippe si tanta auctoritate et potestate supra Pontificem pollebat concilium, atque legitimum fuisset, haud amplius opus fuisset, tantis studiis illius consensum extorquere, atque de novo cum illo pacisci. Ex his jam præoccupata est, atque patet responsio ad 1 et 2. In his enim quid aliud profert adversarius, nisi pacta, indulta, concessiones Eugenii atque Nicolai Rom. Pontificum?

Equidem ipse Febronius in auctoritate concilii Basileensis non adeo multum confidit, ut decretis sessionis 31, firmitatem a publica acceptatione sub Alberto Rege, dein a concessione et confirmatione Eugenii IV et Nicolai V. per pacta publica quærat, ita ut illa decreta non solum ab Eugenio approbata esse, sed etiam in concordatis comprehendi et confirmari velit. Sed videamus, an, et quomodo ista vera sint?

Acceptatio illa sub Alberto Rege, stante neutralitate, facta suum valorem amisit, nec ullum amplius effectum juris producere, multo minus in argumentum assumi potest, postquam natio, abjecta neutralitate, circa illa puncta nova pacta cum sede apostolica iniit, nisi quatenus illa puncta in dictis pactis etiam sint comprehensa atque confirmata, de quo mox videbimus. Interim solum adverto: quando natio Germanica, abjecta

neutralitate, Eugenium IV, ut certum et legitimum Pontificem agnovit, non potuit amplius sess. 31, nec ipsum concilium Basileense recognoscere ut legitimum, quia tunc palam schismaticum erat, atque in hac ipsa sessione 31, Eugenius a Papatu suspenditur, quare illa decreta etiam a concilio nullam auctoritatem pro natione Germanica, sed solum a concordatis habere possunt.

Sed ait Febronius, illa decreta ab Eugenio concessa, et a Nicolao confirmata sunt. Ad hoc respondeo :

Notum est, quod concordata primum *Francofurti* concepta, postea *Aschaffenburgi* conclusa fuerint, ac demum a Nicolao V, per Bullam, *ad sacram*, confirmata, quæ Bulla vulgo nomine concordatorum venit. Quando igitur Eugenius IV, prius nationi Germanicæ indulsit, ut decreta Basileensia antea acceptata servare possint, id non absolute, sed cum limitatione et solum *ad interim* concessit : sic enim ait in Brevi ad hunc finem dato : *permittentes interim et indulgentes, quod omnes et singuli, qui præfata decreta receperunt, illis libere et licite uti possint, donec per legatum hujusmodi, ut prædictum, concordatum fuerit, — — vel per concilium aliter fuerit ordinatum.* Hæc Eugenii concessio a Nicolao V, initio Pontificatus sui sub hoc etiam tenore solummodo confirmata fuit.

Ast per legatum *aliter* concordatum fuit, quam

in decretis sess. 31, concilii Basileensis habetur, uti constat ex ipsis concordatis seu Bulla Nicolai V, *ad sacram*, quæ vulgo nomine concordatorum venit. Quippe synodus Basileensis in dicta sessione decernit, ut non solum appellationes ad sedem apostolicam rejiciantur, et caussæ ad Romanam curiam devolutæ non amplius *apud Eugenium*, sed *Basileæ* apud synodum judicentur, quod ultimum neque tunc, neque modo valorem habuit, appellationes frivolas autem, si tales esse deprehendantur, a quibusvis superioribus rejiciendas esse, non jam vigore concilii Basileensis, sed aliis certis et genuinis canonibus cautum esse novimus, sed insuper synodus ibi statuit, ut caussæ ultra 4 Diætas a Romana curia exortæ, ibi etiam agitentur, ubi exortæ sunt, *exceptis caussis majoribus in jure expresse enumeratis.* Item ut Rom. Pontifex nulli deinceps, quacunque ex caussa, gratias exspectativas conferat, vel ulla beneficia reservet. E contra, in concordatis statutum fuit, ut certæ exspectativæ et reservationes, horumque caussæ apud Rom. Pontificem manerent, videlicet reservatio *juris scripti*, reservationes in *extravag. execrabilis* et reservationes *in extravag. ad regimen inter commun.* prout ex ipso tenore concordatorum apparet. *Sanctissimus Dominus noster Nicolaus Papa V, super provisionibus ecclesiarum, beneficiorumque quorumcunque utitur reservationibus* juris scripti, *et constitutionibus* execrabilis, et ad regimen etc.

constitutionibus modificatis, ut sequitur. Quare ait D. Barthel, decreta Basileensia sub Alberto Rege acceptata, et ab Eugenio *ad interim* concessa juxta concordata initio quidem valorem et effectum, nempe usque ad conclusionem concordatorum, habuisse, posthac vero et hodie nullum amplius habere. Postquam enim dissert. 3, de concord. c. 1, num. 13, citata a Febronio num. 2, concordatorum verba retulisset, ita prosequitur : *clarissime hisce verbis indigitantur, novoque velut robore firmantur puncta illa concordatis præambula, quæ a natione proposita, et Eugenio IV acceptata, appromissa, concessa et indulta fuerunt. — — Hæc inter concessa et appromissa equidem nonnulla erant, quæ mox omnem suum effectum consecuta, hodie nullum amplius effectum juridicum habent, mereque ad illustrationem hujus materiæ subserviunt. Qualia sunt* 1. *quod decreta Basileensia per Albertum II, Romanorum Regem, in Germaniam introducta suo in vigore permanere debeant, usque dum vel cum legato Pontificio aliter concordatum, vel in futuro concilio aliter ordinatum fuerit. Id quod concessit Eugenius IV, per breve apostolicum Non. Feb. anno J. D.* 1446, *quod incipit :* ad tranquillitatem et commoda. Dein ad hoc etiam alia duo puncta refert, nempe quod collationes, dispensationes a tempore neutralitatis factæ, firmæ permaneant, et quod gravamina ecclesiarum Trevirensis et Coloniensis tolli debeant. Postea Barthelius

verba Nicolai V, ad calcem concordatorum posita, atque supra a Febronio num. 2, citata ad duos articulos, nempe ad decretum *frequens*, et auctoritatem concilii Constantiensis restringit, *qui*, ut ait, *revera considerationem merentur, et notabiles adhucdum hodie effectus juris producere possunt, et de quibus maxime supra adducta concordatorum verba sunt intelligenda.* Patet hinc clarissime, per illa concordatorum verba (*in aliis autem, quæ per Eugenium P. permissa, concessa, indulta, decreta et per Nicolaum P. confirmata fuêre, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil exstitit immutatum*) tria illa puncta concordatis præambula in tantum tangi, atque novo robore confirmari, in quantum et pro quo tempore permissa, concessa, indulta, decreta fuerunt, ita ut tum omnem effectum habuerint, qui per subsequentia concordata non fuit sublatus aut immutatus. Sed inter illa concessa et permissa, *decreta Basileensia* sub Alberto II, acceptata tantum *ad interim*, nempe usque ad conclusionem concordatorum in suo vigore permanere debebant, dispensationes, collationes pariter tempore neutralitatis factæ, pro tunc firmæ manere debebant, gravamina ecclesiarum Trevirensis et Coloniensis per speciale rescriptum Eugenii IV, sublata sunt, ideoque hæc tria puncta, in quantum fuerant concessa, *mox omnem suum effectum consecuta erant*, atque circa hæc in concordatis *nihil fuit immutatum*, per quod aut effec-

tus prior irritaretur, aut ultra, quam concessum fuit, extenderetur, *quare hodie nullum amplius effectum juridicum habent,* neque habere possunt. Respondeo jam.

Ad 3. Videlicet a Romanis Pontificibus sæpe concordatis contraventum fuisse. Verum, imprimis experientia constat, quandocunque litigantes pactis utrinque conditionibus caussam componunt, ab initio utramque partem vigilanti æmulatione invicem contendere, ut pacta ad apicem ab alterutra serventur, dumque omnes circumstantiæ et casus particulares in futurum facile provideri haud possunt, sicut nec in lege ipsa, quæ idcirco interpretationem et Epikeiam admittit, in pactis vero et concordatis utraque pars interpretationem in sui favorem assumit, ideo sæpe ex iis novæ lites et dissidia oriuntur.

Equidem prætenditur, a Romanis sæpe concordatis contraventum fuisse. E contra, Romani Pontifices, teste Barthelio, dissert. general. de concord. c. 2, sect. 1, eorum observantiam suprema auctoritate promoverunt, uti patet ex Bullis Clementis VII et VIII, Urbani VIII, item Gregorii X, in Bulla *zelo domus Dei.* Imo ad tales querelas jam responderunt ipsi summi Pontifices. Dum enim Fredericus III, Imperator et Imperii ordines expostularent, Romanos minus observantes esse concordatorum, quodque Germaniæ electiones contemptui haberentur, a Callisto III, responsum fuit, eas electiones omnes confirmatas

fuisse, quæ canonicæ essent, nec se usum esse, nec uti velle ea potestate, nisi magna et urgentissima necessitate coarctatum, quæ sibi ex divino et humano jure, simulque ex concordatis ipsis competit, scilicet providendi ecclesiis de persona magis idonea, quamvis canonica in illis electio facta reperiatur, teste Ænea Sylvio, epist. 371. Tandem supra cit. D. Barthel dissert. general. de concordat. cap. 3, sect. 2, n. 7, sic habet : *neque ea est hodie Romanorum Pontificum intentio, ut postpositis, quos charitas eorundem et justitia pro ædificatione Ecclesiæ, et pro Imperii et Sacerdotii concordia potestatis usui salubriter posuit, amicis terminis, et consequenter ad concordata absolutum dominium exerceant. Declaravit id Adrianus VI, sibi hanc certissimam esse sententiam, etiamsi principes nunquam requirerent sui Pontificatus tempore a derogatione concordatorum penitus abstinere unicuique et maxime nationi Germanicæ jus suum conservare. Goldast.* tom. I, *constit. Imp.* pag. 453, *idipsum constat ex motu proprio Pauli V, ex pastor. offic. anno* 1613, — — *idipsum quoque probat constitutio quædam Gregorii XIII, anno* 1572, 6 *Junii Romæ publicata, ubi Pontifex declaravit se, sub quacunque verborum forma rescripserit, concordata lædere nolle.* Hæc de mente et declaratione ipsorum Rom. Pontificum.

Quod si nihilominus contendas, a Romanis quandoque concordatis derogatum fuisse, hoc in

totum non abnuo : at respondebunt alii, etiam a Germanis non minus iis multum derogatum fuisse, quin et a summis Pontificibus in favorem Germanorum : a Romanis equidem in facto et casu particulari, a Germanis etiam generaliter. Sic Domus Bavarica præscriptione acquisivisse dicitur jus præsentandi in sua provincia ad dignitates et beneficia extra ecclesias cathedrales et civitates episcopales, etiamsi vacaverint in mense Papali, uti expresse habetur in recessu concordatorum anno 1583, initorum cum ordinariis.

Pariter beneficia curata, etsi in mensibus Papalibus vacent, et Pontifici sint reservata, attamen ut plurimum in Germania conferuntur a patronis et inferioribus collatoribus, etiam sine prævio concursu, contra expressum paragraphum concordatorum *de cæteris*. Idem de decanatibus testatur Van Espen J. E. U. part. 2, tit. 23, cap. 5.

Rursum Rom. Pontifices indulserunt Imperatoribus *jus primarum precum*, etiam in mensibus ordinariorum contra concordata. Sic Fredericus III, petiit, et obtinuit a Nicolao V et Callisto III indultum pro primis precibus. Simile indultum petiit, et obtinuit Maximilianus I, ab Innocentio VIII, Carolus V, a Leone X et Clemente VII, Ferdinandus I, ab eodem. Maximilianus II, a Pio IV, Rudolphus II, a Gregorio XIII, Matthias a Paulo V, Ferdinandus II, ab eodem. Ferdinandus III,

ab Urbano VIII. Hæc indulta et diplomata videri possunt apud Besoldum, Chokier, Oligenium et ipsum Pfeffingerum in vitriar. illust. lib. 3, tit. 2, ad n. 9. Hoc jus primarum precum Rudolphus I, Imp. ad solam consuetudinem revocat : ex quo patet, illud Imperatori non tanquam regale coronæ annexum, neque jure protectionis et advocatiæ competere, secus utique Imperatores non tantum semel, nec aliqua solum, sed omnia omnino beneficia, et semper in tota Ecclesia conferre possent, neque *jus primarum precum* nominari deberet. Postquam igitur ex una parte a conciliis generalibus Nicæno II, Constantinopolitano IV, Lateranensi I, II, etc. generaliter statutum fuit, ut omnis electio episcopi, presbyteri, diaconi a principibus facta, irrita maneat secundum regulam, et ne quis beneficium accipiat de manu laici : ex altera vero parte, ipse Rudolphus Imperator speciatim illam consuetudinem vocet *approbatam*, atque Guilielmus Durandus in specul. l. 4, part. 3, num. 7, qui Rudolpho coævus fuit, testetur, se vidisse hoc privilegium Imperatoris Bullatum, nemo vero sibi ipsi det privilegium et approbationem, inde bene consequitur, hoc privilegium et consuetudinem fundari in indulto sedis apostolicæ, cumque concordata tales collationes et jus primarum precum non solum non salvent, sed potius directe excludant, hinc consequens est, per tale jus posteris Imperatoribus concessum, in horum favorem

concordatis derogatum fuisse. Unde mirum non est, quod ipse D. Barthel, quantumvis strenuus concordatorum Germaniæ defensor, *in præfat.* ad dissert. 3, de concord. num. 21, ingenue fateri coactus fuerit, *ipsosmet et varios Pontifices — — non tantum a præjudiciosis rescriptis — — sæpius ad factam tantum repræsentationem sapientissime destitisse, sed et suo subin ex claro concordatorum tenore quæsito summo juri non ita tenaciter institisse, quominus diversa indulta de non vacando in curia, de eligendo, de non vacando in mense Papali, largioraque ipsorum mensium Papalium indulta benigne concederent, quæ tamen prætendere haud potuit natio, nec prætendit unquam omnino consentiens effato Joannis, Carvaialis episcopi Partuensis, diu laborasse sedem apostolicam, antequam posset assequi, ut paterentur ordinarii gratias in suis diœcesibus dari.* Exin intempestivos illos auctores perstringit, quales post Febronium hodie multi sunt, qui, *nullis perpensis circumstantiis, magisque ex partialitatis spiritu, quam prudentis œconomiæ zelo* reservationes Pontificias vel omnino recusare, vel saltem ad parvum concilii Basileensis modum revocare et sic ipsa concordata pessumdare volunt.

Ex hactenus dictis patet, etiam in Germania Concordatis contraventum, atque a Rom. Pontificibus in favorem Germanorum sæpe ita indulgenter cessum fuisse, ut multa præscriptione

vel consuetudine jamjam in jus aliquod abierint, adeoque Febronium querelas quidem contra Romanos motas diligenter adnotasse, horum vero responsa, et quæ in Germania contigerunt, omnino reticuisse. Interim nostrum haud est inquirere, quisnam hac in parte indulgentior fuerit?

Taceo, plura in pace Westphalica ex solo Imperatoris et aliorum statuum consensu protestantibus contra concordata remissa fuisse, protestante licet Rom. Pontifice.

Equidem tunc temporis dira id exegit necessitas, pax et bonum publicum; sed negari non potest, quod si necessitas et bonum Ecclesiæ postulet, etiam a summo Pontifice non minus aliquid contra concordata immutari, vel iis derogari posse. Sic in ipsis concordatis circa electiones addita est clausula, *si canonicæ electiones fuerint, confirmabimus, nisi ex rationabili et evidenti caussa, ac de fratrum consilio de digniori et utiliore persona duxerimus providendum.* Dein D. Barthel dissert. gen. de concord. cap. 3. sect. 2. n. 3. ait: *quæstio hoc loco non est de jure et potestate in abstracto considerata, in vicario Christi residente, super omnia Ecclesiæ beneficia, vigore cujus præsuppositive et antecedenter ad pactum concordatorum solus sibi attribuere possit, vel potuerit facultatem conferendi omnia et singula beneficia ecclesiastica, sed de usu potestatis per amicabiles et rationabiles conventiones — —*

determinato nunc agitur. Et ibi num. 5. *cum utilitas communis evidentissima, puta, si moderna disciplina in graves, communes et constantes abusus patenter degeneraret etc., aut extraordinaria gravissima flagitaret Ecclesiæ necessitas, ex plenitudine potestatis, dominante charitate et providentia duce, a summo Pontifice provideri posset, atque hoc sensu ejusdem potestatem, generalem superintendentiam, et Imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel potius sub concordatis nunquam comprehensum, coarctatumque fuisse, inficiari ego non ausim. Plenitudo enim Pontificiæ potestatis ex jure divino respicit commune bonum Ecclesiæ : ergo quomodocunque paciscatur summus Pontifex, non potest excludere hanc conditionem : nisi aliud exigat commune bonum Ecclesiæ ; atque in ordine ad hoc ipsum condita, erectaque sunt concordata ; medium vero desinit esse tale, dum evidenter fini intento adversatur.*

Quod autem casus particulares attinet, ipse D. Barthel judicialem concordatorum interpretationem Romanæ curiæ denegare non potest. Sic enim ait cit. dissert. cap. 2. sect. 3. n. 5. *cum caussæ beneficiariæ ex notoria praxi Germaniæ ad forum et judicium ecclesiasticum, proinde ad curiam Romanam tandem pertineant, — — ad judicem porro pertineat interpretari leges dubias, quoad caussas decidendas per eum. Judex etenim*

est legis interpres in caussa dubia, ejusque sententiæ tanquam habenti vim authenticæ interpretationis tenentur partes litigantes obsequi, nisi ad superiorem appellationis aut aliud juris remedium interposuerint, recte consequi videtur, judicialem quoque concordatorum Germaniæ interpretationem in caussis particularibus Rotæ et Curiæ Romanæ negari haud posse. Profecto id non solum *consequi videtur*, sed et *necessario consequitur*. Quamvis enim D. Barthel ibidem moneat, quia repetitæ univocæ decisiones stylum curiæ inducunt, et doctores curiæ in favorem curiæ sæpe ejusmodi interpretationes inflectunt, ideo illum stylum curiæ in concordatorum interpretatione non ea vi et firmitate potiri, qua valet in declaranda alia Pontificia constitutione mere tali : hoc utique et nos ultro admittimus : sed quid inde sequitur? num idcirco foro cedendum erit? num ideo caussæ beneficiariæ et aliæ ecclesiasticæ non amplius ad forum et judicem ecclesiasticum pertinent, neque Pontifex est judex ecclesiasticus, ad quem pertineat interpretari leges dubias? num Pontifex in his simul cum *exercitio*, etiam ipsam suam *potestatem* dimisit? profecto talis ratiocinatio ineptissima foret. Sufficit, stylum curiæ in materia concordatorum per se non facere legem, atque si res ad quamdam generalem immutationem vel derogationem tandem deduceretur, *exceptionem partis* opponi posse; proin si non invidiosa, saltem minus æqua videtur cautela

et monitum Zallweinii, aliorumque, ne caussæ etiam per viam appellationis Romam devolvantur.

Porro, fatentibus iisdem auctoribus, concordatis præscriptione vel consuetudine in Germania derogari potest, atque de facto jam derogatum fuit, uti supra vidimus : quare non etiam Romæ eodem jure derogari possit? in communibus pactis jura ex utraque parte debent esse æqualia, nisi in quantum in ipso pacto fors restricta sunt. Quod igitur licet uni, quare non liceat alteri? sufficit, quod utraque pars juribus suis invigilare possit, et hæc est ratio, quare derogationes concordatorum per præscriptionem aut consuetudinem in Germania factæ vim habeant.

Hæc itaque sufficiunt ad os occludendum Febronio, qui querelas et gravamina non tantum multoties repetit, sed et nimium exaggerat, quæ sibi ad rem non sunt, reticet, sicque Romanos Pontifices et curiam studiose in invidiam trahit.

Ad 4. Iterum concilium Tridentinum sugillat Febronius. Verum sufficit, huic viro tantum concilium opponere dicendo, ita visum fuisse Patribus et sacro concilio; quis enim ille inter, vel potius contra tot ac tantos? dein advertat Febronius, in citato decreto non solum de appellationibus ad Papam, sed universim de appellationibus ad quemvis superiorem judicem agi. Num igitur per istud decretum etiam appellationibus ad metropolitam vel concilium provinciale non satis provisum fuit? num hæ ap-

pellationes etiam magis restringi debuissent? ad hæc respondeat Febronius. Interim contra Suavem testatur Pallavicinus lib. 23, cap. 12, tam raras nunc esse caussas et appellationes ad Sum. Pontificem, ut si per universum orbem christianum in uno anno ter aut quater ejusmodi mandatis subscribat Pontifex, quibus caussas ad se trahit, abundans annus haberi debeat.

Ceterum adhuc notari meretur, quæcunque ab adversario hoc paragrapho proferuntur, solummodo contra *excessus* et *nimiam frequentiam* reservationum et appellationum pugnare, neutiquam vero ipsum *jus* et *potestatem* in Rom. pontifice attingere : at Febronius hoc capite sibi demonstrandum assumpsit, hoc *jus appellationum* Rom. Pontifici nullo modo competere ; igitur hìc nihil omnino pro suo systemate probavit. Equidem de hoc falsas decretales iterum accusat, sed nos superius jam demonstravimus, *jus appellationum Romanarum* neque a falsis decretalibus ortum habere, neque iisdem inniti, quanquam in iis de appellationibus sæpe mentio fiat. Ideo hoc potius inde conficitur, Febronium ubivis omnia corradere, atque corrasa simul in lucem proferre, quæ Rom. Pontificis auctoritati et jurisdictioni qualitercunquè detrahunt, aut adversantur, sive dein systemati suo congruant, sive non. Adversario satis est, jacula ferire, etsi sæpe scopum aberrent : attamen jacula sunt, hostemque in foribus esse, ultro produnt.

APPENDIX I.

AD CAPUT V, DE LEGIBUS.

Hactenus toto opere insudavit Febronius, ut Pontificiam auctoritatem infra debitos terminos deprimat, primatem Ecclesiæ reliquis episcopis æqualem faciat, primatus jura convellat, caput cæteris membris substituat, atque ex pastore et rectore Ecclesiæ faciat simplicem et inermem monitorem, talem quidem, quem neque prælati Ecclesiæ, neque laici, neque oves, neque grex audire teneantur, nisi quando, et quantum ipsis libet; ideo ad scopum hunc suum perquam necessarium erat, ut eundem primatem et pastorem omni jurisdictione in ferendis legibus, in decidendis suprema auctoritate caussis atque controversiis penitus exueret. Sed et in posterioribus tomis adversarius haud minus segniter se gessit, ut quæ pro potestate ferendi leges et appellationibus ab aliis contra ipsum dicta, scriptave sunt, quomodolibet dissolveret : quo successu, modo breviter videamus; quæ enim contra potestatem ferendi leges in 4 subsequentibus tomis adhuc in medium profert, et fors alicujus momenti videri possent, prætermissis iis, quæ jam in primo tomo dixerat, atque hinc inde iterum repetit, sunt fere sequentia.

Tomo II, *Flores sparsi pag.* 417, se arbitrum constituens, in medium proponit Bossueti *Expo-*

sitionem Doctrin. Evang. art. 21, qui talem Pontifici potestatem tribuit, *quam concilia, sanctique Patres ubique docuerunt,* cui addit illud Vincentii Lirinensis, *semper et ab omnibus.* Dein in monarchia leges dicuntur auctoritate solius principis, non exspectato subditorum consensu : non sic in legibus Pontificiis, quæ vigorem tantum habent ab episcopis libere receptæ, approbatæque.

Pag. 420. Quæ Gregorius M. gessit, et ex eo objiciuntur, postquam Febronius hunc magnum Pontificem de abundanti zelo, singulari confidentia episcoporum, Imperatorum beneplacito, atque extensione Pontificiæ potestatis ultra nativos fines incusavit, omnia vel ad jura metropolitica in provinciis suburbicariis, vel patriarchalia in Illyrico, vel ad reverentiam originis in Ecclesia Africana, vel tandem ad communem sollicitudinem primatus refert.

Pag. 425. Nicolaus I, leges ferendi potestatem Romanis Pontificibus inanibus argumentis adscribit, scilicet potissimum auctoritati Innocentii I, Leonis M. et Gelasii I, nam Innocentius I, citata a Nicolao epistola ad Exsuper. Tolos. in ipso epistolæ exordio fatetur, se non agere *canonum conditorem,* sed *doctorem.* Leonis epistola non universæ Ecclesiæ, sed tantum *episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam, et universas Italiæ provincias constitutis* inscripta est. Gelasii I, decretum in concilio Romano a 70 episcopis celebrato non est omni crisi superius, ponit canonem non omnibus,

sed tantum ad synodum illam pertinentibus ecclesiis, tandem epistolas decretales post concilia generalia, provincialia et opuscula SS. Patrum collocat.

Pag. 426. Incompetenter ageret, nec obediendum esset Pontifici, si quædam mutaret, aut præciperet contra antiquitatem, consuetudinem, vel etiam contra antiquas innoxias particularium ecclesiarum consuetudines, si indifferentia, non necessaria, nec utilia mandaret : in hujus probationem affert epistolam Ivonis Carnot. 65, ad Hugon.

Pag. 431. Quilibet episcopus in lege Ecclesiæ dispensat pro sua diœcesi. In Tridentino Hispani et Galli episcopi hoc petebant, et decretum solummodo conclusum fuit, ne unquam dispensaretur, vel tantum raro, cum caussa et gratis, non determinando, utrum hæc potestas singulariter remaneat in Papa, vel an episcopi cum ipso hanc habeant communem ? Thomassinus ait, dispensationes Pontificibus *usu* reservatas esse : si ita, nunquam erunt verus et nativus effectus monarchiæ, sed e contrario signum est, eam non exstitisse.

Pag. 433 et seqq. Rursus in decretum, decretales et Bullam Cœnæ insurgit : Isidoro ex canon. apostol. 59, diem dicit, atque auctoritative deponit. *Ergo deponatur Isidorus*, ait, *cum autem in persona deponi amplius non possit, deponatur in opere suo*, sic quidem, *ut ejus spi-*

ritus non supersit in reliquo corpore juris canonici, nec remaneat in Ecclesia. Exin Innocentium III, exagitat, ejus *cruciatas* interpretationes, *excelsos lusus, ambulationes in mirabilibus*, quæ hodie *risum* et *bilem* faciant, ejus *ingenium juvenile* vocat etc. etc. Ast modo videamus, quanti hæc omnia sint habenda? singulis breviter responsa damus, et quidem

Ad 1. Verba Bossueti, quin et illa Vincentii Lirinensis nequaquam refugimus, siquidem ea per se verum, genuinumque sensum habent, et nos a primo capite usque huc *concilia* et *Patres* fere sine numero attulimus, quæ plenam in Rom. Pontifice jurisdictionem demonstrant: hæc autem verissima esse, ex concilio Florentino Febronius plene convincitur. Græci schismatici negabant in Rom. Pontifice non qualemcunque primatum honoris, sed potestatis et jurisdictionis, et cum res ad disceptationem venisset, talem primatum admittendum esse, qui in *conciliis œcumenicis, sacrisque canonibus* continetur: consentiebant in hoc Latini, reque discussa, Græci victas dedère manus, atque una cum Latinis definierunt, *Rom. Pontifici in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, a D. N. J. Ch. plenam potestatem traditam esse. Plena* vero *potestas regendi et gubernandi*, est potestas jurisdictionis atque ferendi leges etc. Igitur, testante atque definiente Florentino, *concilia* primatum et potestatem jurisdictionis docuerunt. Addit Bossuetus, *et sancti Patres.* Græci

in Florentino concilio noluerunt Patres in testimonium atque probationem Pontificii primatus admittere. Quare hoc? nempe, quia tunc schismatici et adversarii istius primatus erant, quod manifesto argumento est, Græcos non ignorasse, ex Patribus satis clare demonstrari posse primatum, quem Latini asserebant, nempe, jurisdictionis in universam Ecclesiam; nam, si contra talem primatum, atque pro sua sententia Patres stare existimassent, utique eos non recusassent, sed allegassent potius; unde iterum ex ipsis hostibus primatus, Græcis nempe schismaticis, demonstratur, *Patres* primatum jurisdictionis etc. in universam Ecclesiam *docuisse.*

Cæterum, illa verba, *quam concilia, sanctique Patres ubique docuerunt,* in ore Bossueti atque Febronii certe ambigua atque suspecta sunt. Nam hæc verba defensioni declarat. cler. Gallic. ejusdem Bossueti vel adversantur? et tunc illa defensio de sua auctoritate plurimum deperdet; vel cum ea concordant? et tum inter concilia etiam Constantiense et Basileense præcipue numerabit; sanctos Patres vero pro libitu, sicut Febronius, recipiet, rejiciet, exponet, vel etiam de excessu, figurata et ampullata locutione accusabit, prout hactenus vidimus. Nos solum certa et vere œcumenica concilia admittimus, non acephala et dubia, aut omnino schismatica: Patres vero omnes antiquitate et sanctitate venerandos, non novos illos novi systematis fabricatores et auctores a duobus aut tribus seculis enatos.

Quod dein de modo promulgandi et recipiendi leges iterum recoquit adversarius, distinguat monarchiam absolutam et perfectam a mixta, temperata, et quæ vicario modo regitur, atque confer. c. 4, § 11, n. 1, et hoc c. § 2, in not. ubi satis responsum fuit. Quæ pariter ex Innocentio I et Gelasio I, in hunc finem affert, etiam alibi discussa sunt. Hoc addo: Febronius etiam leges conciliorum generalium non obligare contendit, nisi episcopi et provinciæ eas receperint, aut approbaverint, quas quoque modificare et mutare possunt, ubi pro argumento adducit, quæ circa concilia Basileense et Tridentinum in Gallia contigerunt. Verum, ipse Febronius concedit, concilium generale habere potestatem jurisdictionis ferendi leges pro universa Ecclesia. Ergo clarum est, in systemate Febronii ex eo, quod leges ecclesiasticæ non obligent, nisi sint receptæ, nullatenus in legislatore argui defectum potestatis ferendi leges. Utquid ergo tantopere insudat, totiesque ad probandum defectum hujus potestatis in Pontifice, repetit atque contendit, leges Pontificias non obligare, nisi sint receptæ, atque recipi non debere? sic nempe reipsa omnem leges ferendi potestatem a tota Ecclesia tollit, et ad subditorum multitudinem refert.

Ad 2. Pariter consule cap. 5, § 4, n. 9, in not. ubi omnia præoccupata sunt. Interim hìc rursus pro exemplo pono, quam perverse omnino atque inaniter Febronius in caussa Archi-

episcopi Ravenat. cum quodam suæ diœcesis abbate ratiocinetur, ut pateat, qualiter genuina et aperta testimonia, quæ negare nequit, inanibus explicationibus involvat, ut lectorem a certo et genuino sensu distrahat.

Scilicet dicebant quidam, illam caussam in concilio provinciali agi et terminari debuisse, quia caussæ ibi finiendæ, ubi primum exortæ sunt, adeoque appellationem abbatis ad Papam canonibus adversari. Hæc nota Febronii cantilena est, idque toties, quoties ingerit. Verum, respondit Gregorius M. lib. 6. epist. 24. *hoc poterat fortassis opponi, si non ad majorem recurreret, et apud eum caussæ suæ meritum peteret terminari.* Reponit Febronius hìc : *poterat hic recursus in præsenti caussa fortassis habere locum, quod Abbas non immerito vereretur, ne episcopi provinciales suo metropolitano magis faverent, quam monasterio.* Demus hanc conjecturam veram esse. At hìc non agitur de motivo appellandi, qualecunque illud fuerit, neque etiam de hoc agit Gregorius; quippe qualecunque *motivum* appellandi Pontifici non tribueret jurisdictionem, si in illo non jam præexisteret : sed de foro et tribunali agitur, ad quod appellatur, utrum sit legitimum? hoc contendit S. Pontifex, probatque ex eo, quod sedes apostolica *major* esset, sicque hoc ipso præsupponebat, atque per hoc clare significabat, in illa non tantum majorem esse jurisdictionem, quam in concilio provinciali,

sed etiam talem, ut, eo prætermisso, quoque ad illam recurri possit; consequenter in sede apostolica esse jus recipiendi appellationes propter majorem et supremam in illa jurisdictionem, quod mox exemplo Joannis presbyteri contra Joannem patriarcham Constantinopolitanum confirmat magnus Pontifex cit. epist. his verbis : *secundum canones ad sedem apostolicam recurrit* (Joannes presbyter) *et caussa nostra est sententia definita. Si ergo de illa civitate, ubi princeps est, ad nostram caussa cognitionem deducta est, quanto magis negotium, quod intra vos est, hìc est, veritate cognita, terminandum.* Hìc erroris Gregorium accusat Febronius, aliam fuisse rationem caussæ abbatis, aliam Joannis presbyteri : ibi de exemptionibus monasterii, hìc de fide agi. Bene est : diversa caussa fuit, quod certissime Gregorium non latuit, sed in hac, et in illa se superiorem et judicem constituit, non distinguens inter caussas, sed deducto argumento a majori ad minus, quando ipsas patriarcharum caussas judicabat, taliter probavit, se supremam habere judicandi protestatem. Jam quid censendum de tali viro, qui clarissima testimonia vanis interpretationibus et exceptionibus adeo obfuscat, ut lectorem a genuino et aperto sensu deflectat, et si quæ pervertere non possit, SS. Patres omnino erroris arguat, sicque suam doctrinam non traditioni et testimoniis veterum Patrum, sed e contra hæc potius suo systemati accommodet, quod si non

possit, ea omnino abjiciat, vilipendatque? talia autem exempla sunt adhuc quamplurima. Quod tandem etiam de S. Leone M. hìc ingerit, ejus testimonia alibi satis jam vindicavimus.

Ad 3. Nicolaus I, inanibus argumentis non utitur. Sit, quod Innocentius I, in epist. ad Exsuper. Tolos. se tantum ut *doctorem*, non *canonum conditorem* præferat, ubi tamen canonem S. scripturæ determinat, jam non doctorem, sed legislatorem agit. Profecto canonem S. scripturæ, quæ prima fidei regula est, et quinam libri authentici sint, nec ne? definire, (quippe antiquiorem illo Innocentii I. canonem non habemus) haudquaquam munus doctoris, sed supremi in Ecclesia legislatoris est. Ab eo autem tempore hic canon in Ecclesia receptus est. Cæterum, potuisset Nicolaus etiam alia documenta ex Innocentio afferre, quæ plenam in Rom. Pontifice jurisdictionem comprobant, et qualia nos hinc inde jam sæpe retulimus. Ad epistolam S. Leonis dico, eam utique solis Italiæ episcopis inscriptam fuisse. Sed peto, quo jure S. Leo his omnibus episcopis legem dedit? utique non solo metropolitico aut patriarchali? quippe metropolita aut patriarcha extra concilium provinciale aut nationale se solo leges ferre non potest pro tota aut pluribus provinciis : fecit tamen hoc S. Leo : jure primatus? qui cum se æqualiter extendat ad universam Ecclesiam, eodem jure, sicut Italiæ episcopis, sic et universæ Ecclesiæ

legem dare poterit. Dein decretalia constituta prædecessorum, quæ S. Leo ibi tanquam leges custodiri mandat, non ad solos Italiæ episcopos data sunt, et qualiter tanquam leges custodiri, mandare potuisset, si leges non sunt, nec ipse legem facere protuisset? decretum Gelasii quod attinet, sicut indomita crisis in plura aculeos fixit, attamen perimere non potuit, ita de hoc decreto dicendum est. Teste Sandini, in vit. Rom. Pontif. Joannes Pearson et Caveus illud decretum ad supposititia amandare voluerunt, sed vindicarunt Lupus abbas Ferrariensis, Mabillonius, Joannes Fontaninus, Petrus Coustant apud Norisium. Cæterum, Gelasius hoc decretum, sicut et alia, in synodo 70 episcoporum, sed non pro sola synodo constituit; siquidem eadem universa tenet Ecclesia. Neque ordo, quem tenet Gelasius, auctoritati decretalium quidquam derogat aut detrahit. Imprimis falsum est, quod ibi mentio fiat de conciliis particularibus : dein epistolam S. Leonis ad Flavianum etiam post opuscula SS. Patrum collocat, et tamen ei *anathema* dicit, qui *de ejus textu usque ad unum jota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit.* Taliter de opusculis Patrum non pronunciat. Denique in eodem decreto Gelasius mox in initio dicit : *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, inquiens,*

et super hanc petram etc. etc., hoc solum contra Febronium sufficit.

Ad 4. Imprimis Febronius distinguat dogmata a disciplina, illa sunt fixa, hæc mutabilis. Assentimur, Papam omni studio etiam circa disciplinam custodire debere veteres traditiones, et quæ sanxit antiquitas, consuetudo servavit, sacra venerabilium Patrum auctoritas firmavit, quamdiu aliud non postulat necessitas, vel Ecclesiæ major utilitas; in tali tamen casu necesse est providere ac subvenire exigentiæ ecclesiæ, quod dum per concilium generale congregatum fieri non potest, universali pastori et primati id muneris incumbit. Ivo Carnotensis nos non tangit. 1. Enim non contra Papam, sed contra Hugonem archiepiscopum Lugdunensem, apostolicæ sedis vicarium, epistolam scripsit, huncque exagitat, qui fors suam potestatem et mandata excessit. 2. Pro argumento suo probando nil nisi statuta et dicta Summ. Pontificum affert : at non ista attulisset, si non eis vim legis et plurimum auctoritatis inesse censuisset. 3. Ivo alibi Rom. Pontifici omnem illam jurisdictionem et potestatem competere, verbis et factis testatur, quam Febronius eidem denegat. Sic epist. ad Richer. archi-episcop. Senon. ait. *Sedis apostolicæ judiciis et constitutionibus obsistere nil aliud est, quam maculas hæresis contrahere, cum scriptum sit : hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.* Et infra. *Cum generice ad eam pertineat confirmare, aut*

ad nihilum consecrationes tum archi-episcoporum, tum cæterorum episcoporum delere constitutiones et judicia vestra, et sua propria immobilia servare absque eo, quod ab aliquo alio revocari valeant aut corrigi. Idem epist. 159 ad Paschalem II, P. *Judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente, didicimus.* Tandem cum Ivoni in concilio Rhemensi damnatio imminebat, ad sedem apostolicam *adpellavit*, sicque illius judicio se subduxit. Hæc omnia perpendat adversarius. At scio, quid responsurus sit : Ivo, qui ei supra bonus erat, hìc mox iterum Isidorianus erit.

Ad 5. Jam superius § 5, in not. diximus, episcopos in lege universali Ecclesiæ pro suis diœcesibus, nec invitis Gallis quoque dispensare posse *ex concessione a jure, consuetudine* vel *delegatione.* Pontifex vero dispensat *jure* sibi *intrinseco primatus.* Reliqua ex collationibus Parisiensibus adduntur, quæ scrupulum haudquaquam movent. Postquam enim concilium Tridentinum initio et in fine, nempe sess. 7, de reform. et sess. ult. cap. 21, de reform. in omnibus semper salvam apostolicæ sedis auctoritatem per specialem clausulam esse voluit : postquam concilium ubique sedulo adnotavit, quæ episcopis tanquam sedis apostolicæ delegatis attribuit, et in quibus dispensare possint, non relinquitur dubium, de cujus potestate sess. 24, cap. 5, de reform. agatur. Thomassinus vero, uti supra cap. 4, § 7 et 10.

in not. observavimus, per ly *usu* non negat Pontifici potestatem reservandi, sed solum indicat modum, quo reservatio invaluit, nempe utendo sua potestate, quam semper habuit. Nihil ergo contra regimen monarchicum concludis.

Ad 6. Quæ contra decretum, decretales etc. adversarius hìc repetit, jam supra hoc cap. § 3, responsum habent. A nupera vero controversia inter sedem apostolicam et principes ob edictum Parmense et Bullàm Cœnæ, quam in scenam producit, consultius fuisset abstinere, cum privato homini non liceat, se talibus immiscere ob reverentiàm illis debitam, minus alterutri parti caussam adjudicare, aut in triumphum ducere. Habet utraque potestas suos limites, si qui confusi sunt, dante Deo, utraque ad suos perveniet. Providi auctores facta majorum longe a se dissita notant, atque libero criterio dijudicant, præsentia, cum invidiosa ac delicitata res sit, solum enarrant, sed ad limam non vocant, et posteris dijudicanda relinquunt.

De cætero, canon apostol. 59, quem citat Febronius, sic habet : *Si quis falso inscriptos impiorum libros tanquam sacros in Ecclesia ad populi et cleri corruptionem publicaverit, deponitor.* Jam 1 in Ecclesia Latina tantum 50, canones apostolorum sunt recepti, reliqui a Græcis sunt additi seculo 7mo, ut ait Amort. tom. II, Element. jur. canon,, atque ut apocryphi a multis rejiciuntur. Tu ergo ex canone apocrypho contra

Isidorum, quod apocrypha propalaverit, sententiam depromis, sicque in quo alterum judicas, teipsum condemnas : ideo nihil valet tua sententia depositionis in Isidorum prolata. 2. Canon loquitur *de falso inscriptis impiorum libris tanquam sacris*, nempe qui non solum falsam inscriptionem, sed et impietatem continent, qua populus et clerus corrumpi possit, quique tanquam sacri publicantur. At Isidorus de impietate doctrinæ accusari non potest, quod jam pluries demonstravimus, præcipue cap. 3, § 9, quia non nisi disciplinam saltem secul. 4, 5 et 6 profert, atque ipse Febronius aliquando fatetur : *Isidorus doctrinam non corrupit.* 3. Etsi Isidorus aliqua falso nomine inscripsit, quædam interpolavit, inde nondum eruitur impietas facti ; potuit enim similiter decipi talibus documentis et manuscriptis, quod suo tempore nec mirum nec rarum cuiquam videri debet, uti Febronius quoque ex Berardo observat. 4. Si Isidorum de impietate doctrinæ etiam circa disciplinam accusat Febronius quam Ecclesia per octo secula et ultra secuta fuit, quamque non solum usu firmavit, sed et in conciliis sua auctoritate consecravit, consequens est, ut etiam ipsam Ecclesiam, quam nulla ignorantia excusare poterit, de tali impietate accuset. Judicet ergo, sententiamque proferat. Non solum Isidorum, sed totam Ecclesiam deponit. Hæ nativæ suorum principiorum sequelæ sunt. Age dein ulterius, et infausta sua systemata Ecclesiæ obtrudat ; sed certo certius

non nisi schismata et mala in eam inducet, atque in pejus deformabit.

Porro quando Febronius Isidorum ubivis pessime habet, non possum tacere, quanto partium studio in auctores ipse laboret. Goldastum sæpe citat, de quo tamen omnes norunt, eum in leges et constitutiones imperiales, aliaque documenta tantum, vel adhuc amplius, quantum Isidorum in decretales peccasse, suspectas merces pro veris obtrudendo, vel falsa confingendo. Attamen in sua appendice III, § 19 et 20, illum ita excusat, vel potius vindicat Febronius. *Goldastum in sua collectione nonnulla* (*constitutionum enim, quod edidit, totum corpus intitulare figmenta, nimis procax et fere stolidum est*) *edidisse, quæ eruditorum crisin patiuntur, non negatur.* Postea ait, inter dubia et apocrypha recensenda non esse decem gravamina nationis Germanicæ, quia, ipso monente, etiam alibi impressa leguntur. *Tam aperte autem et audacter nemo in publico mentiri solet.* Jam si Febronius æquus censor esse velit, hæc omnia, quæ pro Goldasto dicit, etiam pro Isidoro, ejusque decretalium collectione admittere debuisset, idque longe majori jure; quippe Goldastus iis temporibus et locis, de quibus scripsit, et quorum documenta producit, longe propior, quam Isidorus fuit, ideoque facilius falsi et fictionis reus dici poterit. Quare non omnem Isidoro fidem subtrahere debemus, atque in iis, quæ ab eruditis tanquam dubia vel apocrypha

non deprehenduntur, præsertim quando hæc alibi etiam leguntur, Isidorus ad minimum tantum, quantum Febronio Goldastus valere debet. Utquid igitur Isidorum et totum ejus corpus collectionum ubivis exagitat, Goldastum e contra citat, vindicatque Febronius. Sed eum modo ultra audiamus.

Tom. III, pag. 22. In Daniele Bertono contra Italum, quem ibi nullo verbo refutat, aut ejus principia et argumenta evacuat, solum hæc nova superaddit. Antiqui episcopi non ferebant, ut secum Rom. Pontifices *cum imperio* agerent, sed eis resistebant : sic Polycrates in caussa Paschatis, Victoris P. minas rejecit : *nihil moveor*, ait, *iis, quæ nobis ad formidinem intentantur.* Irenæus, et multi episcopi Victoris cæcum, præcipitemque zelum acriori stylo aperte damnarunt.

Firmilianus et Cyrianus in caussa rebaptizantium arrogatum a Stephano P. imperium adhuc nervosius repulerunt.

Afri episcopi in caussa Apiarii non minus valide obstiterunt Zosimo et Cœlestino, suumque canonem concilii Milevitani II, præferunt decretis Cœlestini.

Gregorio IV, cum eum episcopis ex parte Ludovici Pii stantibus excommunicationem minitari rumor esset, scripserunt ad eum episcopi, nullam ipsi potestatem esse, aliquem in diœcesibus suis, se invitis, excommunicandi, aut aliquid præcipiendi, et excommunicatum ipsum habiturum, si propositum suum exequi tentaret.

Pag. 89. Ulterius thema suum probat Febronius testimonio Gersonis de potest. eccles. consid. 4. Francisci Zabarella tract. de schismate. Card. Cusani lib. 2, de concordant. cap. 9, Almaini de auctor. eccles. cap. 7, Zallwein princip. jur. eccles. tom. I, quæst. 4, cap. 2, § 7. Dein Galliæ episcopi in controversia cum Nicolao I, non admittebant Pontificum decretales, si non conciliis et canonibus in codice canonum contentis, atque per hoc in Ecclesia receptis congruerent. Sic Liberius, Innocentius I, S. Leo *non nova statuta*, sed vetera se proponere dicebant. Quæ Italus ex Siricio, Innocentio et Gelasio opponit, itidem non nova statuta, sed veteres traditiones attinet. Gelasius vero ex canone Sardicensi, et quæ cap. 5, § 8 et 9 dicta sunt, interpretationem accipit. Contra hæc respondeo :

Febronius admittit, Victorem et Stephanum PP., itidem Zosimum et Cœlestinum cum imperio egisse contra episcopos; hinc sequitur, eos censuisse, sibi hanc potestatem et jurisdictionem competere, quod igitur nostrum argumentum ex antiquitate et traditione confirmat.

Neque ex resistentia episcoporum aliud quidquam infertur, sed eo ipso contrarium magis elucescit. Febronius alios Rom. Pontifices sui primatus jurisdictionem ubilibet exercentes qualitercunque interpretatur, vel excessisse, vel errasse dicit aut tandem omnia ad consensum et cessionem episcoporum refert : at dum illi Pontifices etiam

resistentibus quandoque in tota aliqua provincia, regno et concilio episcopis non cedebant, leges dabant, vincebant, sic ut, non attenta illorum episcoporum renitentia, nihilominus tota Ecclesia exercitam ab eis potestatem adhæsione sua comprobaret, sequitur, illam potestatem legitimam fuisse, atque eos jure exercuisse. Profecto Febronio nil aliud superest, quam omnes retro etiam antiquissimos et sanctissimos Pontifices usque ad seculum 2, præsumptionis, arrogantiæ, usurpationis, excessus, erroris accusare, prout etiam hìc de Stephano I et Victore I facit, quod certe horrendum et abominabile est: hoc quippe erit traditionem convellere, non adstruere, eidem illudere, non venerari. Cæterum, aliquando resistentiæ horum episcoporum alia caussa fuit, non defectus potestatis et jurisdictionis in Pontifice, uti adstruit Febronius. Polycrates Ephesi episcopus in epist. synod. ad Victorem P. caussam hanc mox ante citata a Febronio verba sic proponit: *Magna enim luminaria in Asia obdormiverunt, Philippus unus ex duodecim apostolis, et Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, Polycarpus etc., isti omnes diem Paschæ in quarta decima die mensis observaverunt juxta Evangelium, fidei regulam per omnia conservantes.* Vides, Polycratem suam opinionem non pro traditione apostolica *circa disciplinam*, sed circa *fidem* omnino, atque tanquam evangelium et *fidei regulam* aperte habuisse. At Rom. Pontificem, evangelium et regulas fidei im-

mutare non posse, non solus Polycrates, sed et nemo alius diffitetur. Scio, quid inde concludat adversarius, nempe Polycratem non credidisse, Rom. Pontificem in decidenda quæstione fidei esse infallibilem, quia definitioni Victoris P. noluit acquiescere, quam in materia fidei fuisse ipse censuit. At non apte concludis : id potius concludere debes, Polycratem credidisse, non solum Victorem P., sed totam reliquam Ecclesiam, exceptis suis Asianis episcopis, in doctrina fidei esse fallibilem, atque de facto errasse, ideo, sic censendo, aperte erravit Polycrates. Quippe notum est, Victorem Papam scripsisse in omnes provincias, jussisseque celebrari synodos, ut caperet informationem de sensu, traditione et observantia Ecclesiæ : capta informatione synodali ex omnibus Ecclesiæ partibus, deprehendit in tota Ecclesia, exceptis episcopis circa Ephesum, vigere consuetudinem celebrandi Pascha in die Dominica resurrectionis Dominicæ. Hanc itaque *generalem consuetudinem*, cui ob legem unitatis christianæ se conformare per se tenebantur respective pauci episcopi, Victor P. *declaravit* pro *universali Ecclesiæ lege*. Quando igitur Polycrates restitit huic legi, contrariam suam observantiam vendens etiam *pro regula fidei*, utique non solum Victorem Papam, sed totam Ecclesiam accusavit tanquam *prævaricatricem regulæ fidei*, quod, ut ait D. Amort, nihil aliud erat, quam efferre vexillum schismatis. Quid ergo ex Polycrate concludis contra

infallibilitatem Rom. Pontificis, dum pariter ex eo contra infallibilitatem totius Ecclesiæ concludere debes? utique nil aliud, quam Polycratem in sua opinione circa hoc et circa aliud errasse.

Interim falsum est, quod Irenæus et multi cum ipso episcopi *Victoris zelum aperte damnarint.* Hoc nullibi testantur auctores, atque Eusebius lib. 5, cap. 24, de Irenæo ita ait: *Victorem decenter admonet, ne etc.* Et Nicephorus lib. 4, histor. eccles. cap. 38, *verum id aliis, qui cum* (Victore) *erant, episcopis minus placuit. Itaque illum sunt adhortati, ut benignius — — statueret.* At hoc non est *aperte damnare.* Tandem notat Sfrondrati in Gallia vindic. dissert 4, § 1, *quamvis plurimi historici ecclesiastici, videlicet Eusebius, Irenæus, Nicephorus, Hieronymus, Photius, aliique hujus rei meminerint, nullus eorum tamen scribit, episcopos Victori hanc potestatem negasse, sed tantum hortatos esse, ut, pacis caussa, nimia severitate temperaret.*

Cyprianus et Firmilianus existimabant differentiam in caussa baptismi tanti non esse, ut quis a sua consuetudine deturbari deberet, sed suam cuique pro libitu et innoxie servandam esse. Sic Cyprianus epist. synod. 72 ad Stephanum P. ait: *Ceterum scimus, quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cui-*

que facimus, aut legem damus, cum habet in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium unusquisque præpositus. Et epist. ad Jubaian. *hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque episcoporum, quod putaverit, faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem.* Et Firmilianus epist. ad Cyprian. inter Cyprian. 75. *Romæ et in cæteris quoque provinciis plurimis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ pace aliquando discessum est.* Patet hinc, Cyprianum et illos episcopos rem illam prorsus indifferentem existimasse, et tanti momenti non esse, ut episcopus Romanus auctoritatem interponat, vel legem det, cum nec ipsi cuiquam inter suos aliquid præcipere vellent, sed pro suo arbitrio agere permitterent. Equidem verum est, quod Cyprianus, tribus Carthagine coactis conciliis, suam opinionem firmaverit, sed ut ex supra cit. epistola synod. constat, per hoc nec aliis, nec suis episcopis ibi congregatis legem præscribere voluit, sed tantum eorum collegit consensum, ut suam sententiam majori auctoritate roboraret, atque ostenderet, eam non novam, neque sui solius esse. Dum ergo Cyprianus caussam talem esse non sensuit, ut una vel altera opinioni in legem evehi deberet, ideo contra abusum potestatis, uti ipse putabat, non contra legitimam potestatem Pontificis decertavit, restititque.

Hæc quidem in casu Cypriani contra Febronium possent sufficere : attamen si eidem omnia concederemus, illud contra Cyprianum, quod supra contra Polycratem, proportionatim dici posset. Saltem illud card. Sfrondrati Gall. vindic. dissert. 4, § 3, contra Febronium invicte in hac caussa concludit : *restitit Pontifici* (Cyprianus) *fateor, sed ideo erravit, ac postea pœnituit. Non credidit, Pontificem infallibilem esse : concedo. At æque non credidit baptismum, quem hæretici conferunt, validum esse. Si ergo non ideo baptismus hæreticorum invalidus est, quia Cyprianus credidit, invalidum esse, ita non ideo Papa fallibilis est, quia Cyprianus credidit, fallibilem esse. Quod si error Cypriani nihil nocet baptismo, ita error Cypriani nihil nocet Pontifici.*

Notat insuper hìc cardinalis, D. Cyprianum inter gentilium sacrilegia consenuisse, provecta jam ætate, ac neophytum episcopatum adeptum esse, atque hunc per decennium tenuisse, ex quo sequitur, quanti hujus auctoritas, si aliis opponitur Patribus, facienda sit?

Equidem Cyprianus atque Firmilianus postea etiam, magis commoto animo, durius minusque reverenter contra Stephanum scripsêre, prout in æstu concertationis fieri assolet, caussamque suam veram esse, et sibi et aliis persuadere volebant. Verum hæc neutiquam sunt attendenda; nam præterquam quod initio, pacatis adhuc animis, suam opinionem nemini obtrudere, et cuivis

liberam esse volebant, illa vel commotioni vel obstinationi mentis in re, quam ipsi indifferentem existimabant, attribui debent, non defectui reverentiæ et submissionis erga vicarium Christi, quam Cyprianus alibi sæpe ac sufficienter contestabatur; hinc etiam Augustinus lib. 5 de bapt. cap. 25, et alibi pluries improbat, quæ Cyprianus contra Stephanum in hac caussa egit, scripsitque. *Jam illa*, ait, *quæ in Stephanum iratus effudit, retractare nolo.* Non est igitur, quod de resistentia Cypriani sibi glorietur Febronius. Addo etiam, epistolam Firmiliani ad Cyprianum, qua tam acerbe et irreverenter impetitur Stephanus, non omni suspicione carere, supposititiam vel corruptam esse, utpote quam ignoravit Augustinus, et primum Morellus calvinista, nescio, undeproduxit.

Sed quid de Afris episcopis? neque hi adeo resistebant potestati Rom. Pontificis, prout somniat Febronius. Canon ille Milevitanus et ipsum concilium Milevitanum ab Innocentio I, approbatum fuit, qui alibi, nempe epistola ad Victric. Rothomag. tam diserte *appellationes omnium caussarum* apostolicæ sedi reservat. *Si quæ autem caussæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, ut secundum synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ episcopis, jurgium terminetur, nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui* NB. *in omnibus caussis debet reverentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem*

provincia Dei ecclesias gubernant, ad alias convolare provincias etc. Infra autem *caussas majores* etiam *post judicium episcopale* adhuc *ad sedem apostolicam referri* statuit. Quod si autem ille canon Milevitanus per *transmarina judicia* de appellationibus Romanis intelligendus sit, hic solum de inferioris ordinis clericis manifeste loquitur; hinc falsum est, quod *omnis appellatio ad Romanam Ecclesiam* ibi prohibeatur, et quod Afri, *hoc canone suffulti* potuerint, aut voluerint, etiam appellationes episcoporum non admittere. Dein hoc canone statuitur, ut inferiores clerici suas caussas ad vicinos episcopos deferant, si ab his provocandum esse putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suos; en ordo provocationis intra provinciam præscribitur, ne extra provinciam ad alia judicia appellent, antequam caussa ad primatem delata sit. Quod si post sententiam primatis, adhuc se gravatos esse putent, non legitur, eos ad sedem Romanam appellare non potuisse, neque Afros hunc sensum suo canoni tribuisse, manifeste colligitur ex dissidio, quod habebant cum Zosimo et Cœlestino PP., ubi solummodo petunt, ut Pontifex *improba clericorum refugia repellat*, ne appellantes *facilius* admittat, et *præpropere* communioni restituat, nempe sicuti in caussa Apiarii factum est; quod utique non est, omnes etiam inferiorum clericorum appellationes denegare? Dein utique tum antea Innocentius I, appellationes Cœlestii, Pelagii, Hilarii,

Elpidii presbyterorum recepit, tum postea contra appellationes ab Afris episcopis nil amplius motum fuit.

Petebant ergo Afri solum, ne hunc despectum, vel uti aiunt, typhum a suis clericis patiantur, ut spretis suorum episcoporum judiciis quivis pro libitu eminus evagari audeat, taliter appellanti facilius aures præbeantur, et caussa in provincia nondum examinata, Papa eum præpropere communioni restituat etiam cum mandato exequendi, quæ omnia in caussa Apiarii contigerunt: sed, ut secundum disciplinam illius ævi, caussam ad concilium provinciale deferri patiatur, huicque magis deferat, quam frivolæ appellationi, præcipue quia *testium necessariæ personæ*, ut ibi aiunt Patres Africani, Romam adduci non possunt. Nec amplius quid Patres Africanos postulasse, patet etiam ex eorum epistola ad Bonifacium P., ubi quæ in allegatis canonibus Sardicensibus circa appellationes statuta sunt, laudabant, iisque se contentos fore profitebantur. *Quæ*, aiunt loc. cit., *si ibi —— eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, tolerare cogeremur.* Et supra *et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam* (nempe loquuntur de allegatis canonibus Sardicensibus) *a Patribus acta vel constituta sunt, sic ea a nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista, quæ in commonitorio attulerunt, faciant exerceri.* His omnibus rite per-

pensis, resistentia Afrorum in nihilum omnino recidit. Vid. etiam supra hoc cap., § 6 in not.

Quod attinet historiam illam Gallorum episcoporum cum Gregorio IV, consultius eam supprimere, quam in argumentum adferre debuisset, si tamen episcoporum honori consulere voluisset Febronius. Factum non nego : at de jure quæritur, atque saltem probare debuisset, illos episcopos se sapienter et debite in hoc facto gessisse. Aliter de hoc sentit Petrus de Marca ipse Gallus de concord. S. et J. p. 1. l. 4, cap. 11, illosque episcopos idcirco præsumptionis, audaciæ, irreverentiæ, gravisque peccati accusat. *Non privant*, ait, *episcopi Pontificem communione Ecclesiæ ; nunquam enim minori sedi licuit majoris sedis Pontificem illa vel alia pœna plectere.* Et postea *dissimulandum non est, tuendi Regii capitis et honoris æstu abreptos episcopos in reverentiam Pontifici debitam peccasse graviter, cum gradus illi objiciunt, ideoque de præsumptione audaciæ damnantur ab auctore vitæ Ludovici.* Ipse vero Gregorius P. in epist. ad eosdem : *quod vestræ minæ continent, nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ factum est.* Pro quanto crimine præsumptam excommunicationem Dioscori et Photii (qui tamen ambo patriarchæ erant) in Rom. Pontificem habuerint antiqui Patres, constat ex Anastasio *in Præfat. synodi VIII, ad Adrianum II*, et *ex relatione synodi Chalcedon. ad Valentin. et Marcian. Augustos*, ubi Anatolius patriarcha Constantinop.

dixit, *hoc unicum ad damnationem Dioscori suffecisse.*

Exin testimonia Gersonis, Zabarellæ, Almaini, Cusani haud curo : si a Patrum testimoniis ad recentiores scriptores descendere velimus, quot et quantos his opponere possemus? Gerson, uti jam pluries dixi, sibi non constat : illi vero omnes principiis schismaticis tempore concilii Constant. et Basileens. abrepti erant. Neque Zallweinium sibi reddo, qui tamen primatum jurisdictionis admittit. Sed rursum cum suo Hincmaro Rhemensi redit Febronius; de hoc viro jam sæpius illi locutus sum : attamen et hunc in suum sensum violenter detorquet. Ais illum et Galliæ præsules non admisisse Pontificum decretales, nisi quatenus *conformes* canonibus antea *receptis* et *approbatis*, et quatenus *canonibus in codice canonum contentis, atque per hoc in Ecclesia receptis congruerent.* Huic neque Nicolaum I, contrarium esse, dum citat capitulum Leonis M. *omnia decretalia constituta — — quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi noverit denegari.*

Verum imprimis Febronius loquitur *de receptione et approbatione,* vultque decretales Pontificum non nisi ab Ecclesia *receptas* obligare, atque recipi non debere. S. Leo e contra, et cum eo Nicolaus I loquuntur *de promulgatione.* Nemo autem

negat, leges *promulgari* debere, *receptionem* autem et *acceptationem* omnino mandat S. Leo : *promulgata custodiri mandamus.* S. Leo et Nicolaus I, Febronio non consentiunt.

Interim Hincmarus et episcopi in suo apologetico utique dicunt, *sed decretalia Pontificum Romanorum a sanctis conciliis recepta et approbata recipere et sequi.* At tom. II, epist. ad Hincmarum Laudun. n. 36, idem Hincmarus ait, *ego decretales epistolas sedis apostolicæ diversis temporibus, pro diversorum Patrum consolatione vel consultatione ab ejusdem sedis Pontificibus datas, et venerabiliter suscipio, et venerabiliter suscipiendas dico et scribo, et sacrosanctorum conciliorum canones cum decretis apostolicæ sedis ex ejusdem sacris canonibus promulgatis et recipiendos, et custodiendos, et servandos, sicuti supra ostendi, profiteor.* Quomodo hæc cum prioribus concordant ? hìc generaliter omnes decretales Pontificum epistolas *recipiendas* et *observandas* dicit, ac suscipit : ibi tantum *receptas* et *approbatas.* Si et moræ et operæ pretium erit, Hincmarum sibi concordare, dicam, eundem omnes omnino Pontificum decretales, quæ certo a Pontificibus emanarunt, et statutæ sunt, recipere, et recipiendas esse declarare, prout facit, atque declarat in mox cit. epistola ad Hincmarum Laudunensem nepotem suum. Attamen supponit, quasdam decretales esse suppositítias, præcipue, quia ab antiquis Rom. Pontificum decretalibus dissonant, et has

dicit, non esse receptas, vel recipiendas; sic opusc. 55, c. 43, ad eund. Hincmar. Laudun. ait : *pande nobis, quæsumus, quid censeas de eorum decretis, qui post Nicænum concilium et alia catholica concilia observanda decretalia constituta, de iisdem sacris canonibus promulgata sanxerunt, sicut Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Leo, Hilarius, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, et quique alii, quorum decreta Ecclesia catholica et Patres, ac prædecessores nostri servanda tenuerunt, et venerati sunt. Et quoniam in quibusdam a præfatis, quos appellas canones, dissonant, magistrali censura decerne, quæ ex his sequi, et quæ refutare debeamus.* Ex his apparet, Hincmarum Rom. Pontifici non denegare potestatem condendi canones aut leges, illosque recipiendos, observandosque esse profitetur; at dubitat, aliquos genuinos esse cujus rationem ducit a posteriori, quia in aliis canonibus vel conciliis promulgati, et a Patribus observati non leguntur, atque a prioribus genuinis dissonant, sic ut illa promulgatio et observantia anterior eis non tribuat auctoritatem seu rationem legis, sed sit signum a posteriori, quo genuini Pontificum Romanorum canones a suppositiiis secernantur. Hæc interpretatio fundatur in ipsis verbis Hincmari, et sine hac illum sibi non conciliabis. Hincmarus ergo eo toto adversatur Febronio. Quæ postea adversarius ex S. Leone, Innocentio I, et Libe-

rio PP, item contra Italum ex eodem Innocentio, Siricio, Gelasio producit, satis præoccupata sunt c. 2, § 7 et 8, item hoc c. 5, in not. ne singula repetere debeamus.

Pariter quæ tom. IV, part. 2, ulterius de legibus et potestate legislativa Rom. Pontificis profert, ubi maxime Petri de Marca, Paschasii Quesnelli et aliorum Gallorum testimoniis se munit, ut plurimum repetitiones sunt, jam sæpius, præcipue citatis modo locis profligatæ, atque convulsæ. Addo, nos nlulibi contendere de *promulgatione*, sed *de acceptatione legum :* illam necessariam esse dicimus, hanc vero omnes obligare, nisi hanc obligationem legislatoris voluntas expressa vel rationabiliter præsumpta remittat; secus nec concilium generale œcumenicum, in quo tamen etiam juxta adversarios tota residet potestas Ecclesiæ, multum valeret pro Ecclesia, ejusque leges debito vigore et efficacia destituerentur.

APPENDIX II.

DE APPELLATIONIBUS.

Tom. II, Apolog. pag. 234, citat Febronius, vel quisquam alius ejus nomine, Gelasii P. commonit. ad Faust. *Nobis opponunt canones, dum nesciunt, quid loquantur. — — Ipsi canones sunt, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus examen deferri voluerunt.* Non dicit : *ipse Dominus est*, vel *ipsæ scripturæ sunt*, sed *ipsi canones* sunt. Postea ex Van Espen et Zallwein iterum queritur, per Tridentinum appellationibus Romanis non satis terminum fuisse positum. Ad hoc respondeo : per illud Febronius vult probare, appellationes per canones *ab Ecclesia* introductas fuisse, adeoque *ad primatum Petri* neutiquam pertinere. Verum sic duo contra seipsum admittit : 1. Appellationes adeo non a falsis decretalibus Isidori ortum habere, utpote tempore Gelasii nondum notis. 2. Canones Sardicenses, de quibus non diffitente Febronio hìc loquitur Gelasius, *de veris appellationibus* intelligendos esse, quippe de his Gelasius ibi agit, quod ille tantopere negare ausus fuit supra hoc cap. Interim verum est : *ad canones* provocat Gelasius; sed utitur argumento ad hominem : Acaciani jam prius *ad canones* provocarunt, hos eis non suffragari, sed contrarios esse ostendit Gelasius; num idcirco appellationes

ad jus primatus pertinere negat? nequaquam, sed hoc aperte affirmat; nam in eodem commonitorio inferius ait : *quapropter non veremur, ne apostolica resolvatur sententia, quam et vox Christi, et majorum, et canonum fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam ipsa dijudicet.* En? ante omnes canones *vox Christi et majorum* est : igitur *Dominus est, scripturæ sunt, traditio est.* Confer supra hoc c. § 8, in not.

De reliquo injuriam faciunt magno illi concilio Tridentino, quicunque prætendunt, ejus dispositiones ineptas, et minus sufficientes fuisse, quasi magnum illud concilium non melius noverit, quid pro bono disciplinæ et Ecclesiæ magis congruat, primæque sedi competat, quam privati quivis, suis quoque præjudiciis præoccupati auctores, quæ contra illud vocem attollere audent. Nec quispiam hìc alleget protestationem Lotharingi in fine concilii factam; quippe jam alibi ostendi, quo fonte illa protestatio manaverit; dein hæc non appellationes Romanas tangebat, atque huic protestationi Patres nihil deferebant, et hac non obstante concilium terminatum fuit.

Porro Febronius hoc tomo multa adhuc hinc inde contra jus appellationum spargit, canones Sardicenses iterum vexat, et jura synodorum provincialium revocat. Verum attentus lector advertet, ea omnia a nobis in hoc capite satis explosa fuisse. Genuinum Sardicensium canonum sensum (ut verbis Febronii utar pag. 55. hoc tom.) tam

accurate et peremptorie explanavimus supra § 6, ut mirandum merito sit, adversarium toties redire in idipsum. Synodis provincialibus sua jura nunquam negamus, ut lites, jurgia episcoporum, atque caussæ ecclesiasticæ ibidem discutiantur, et si fieri potest, terminentur. Quod si tamen *caussæ majores* in medium proferantur, statuente Innocentio I, ex veteri consuetudine et traditione, *post judicium episcopale ad sedem apostolicam referantur*, ibique *sumant justa sententia terminum.* Neque dicimus, ab omnibus caussis et judiciis appellari debere : utinam semper finirentur! quæcunque igitur jura *veri canones* his synodis tribuunt, libenter admittimus, sed solum dicimus, altius esse tribunal apud primatem totius Ecclesiæ, ad quod appellari possit, si vel justitia denegetur, vel judices suspecti sint, vel lis in synodo finiri non possit, aut ejus judicio pars se gravatam sentiat : imo justas fuisse caussas, quod aliqua supremo huic tribunali omnino reservata sint. Vid. cap. 3 et præcipue cap. 4 in not.

Quando ergo canones statuunt, ut caussæ in synodo provinciali terminentur, per hoc non negant, aut excludunt altius tribunal appellationis, secus a concilio provinciali nec ad plenius nationale vel generale provocari posset, quod utique falsum est, et veteri disciplinæ atque praxi repugnat, cum multæ lites in conciliis generalibus ultimato decisæ sunt : sed per vocem *terminen-*

tur, tantum significatur quod illæ synodi *definitive* procedere debeant, sententiam definitivam proferendo, per quam ordinarie et per se lis terminatur. Sed a definitiva utique adhuc datur appellatio, quando superest adhuc altius tribunal? his igitur etiam ea, quæ adversarius tom. III repetit, exhausta sunt.

Tom. IV, pag. 92, iterum ad Africanos episcopos refugit, quo appellationibus Romanis reniterentur. Hæc mox in superiori appendice etc. enucleatim exposita sunt, unde nihil lucratur Febronius. Pag. 154, vult audiri Paschasium Quesnellum, vel saltem ejus argumenta, ut probet, appellationes Romanas potissimum canonibus Sardicensibus, et consuetudine inniti, proin in solo consensu et delatione ecclesiarum fundari: sed S. Gelasius P., ut mox supra ostendi, non ex solis canonibus, sed etiam *ex voce Christi*, et auctoritate *majorum* eas depromit. Vid. hoc cap. § 8, num Quesnellus nuperus prævaleat Gelasio?

Pag. 239, pervenit ad illam quæstionem, utrum Papa caussas appellationum in provinciis per commissarios judicare teneatur, an vero illi pro supremo jure suo liberum sit, easdem ad Romanum suum tribunal evocare? jam prius dixerat, Hincmarum Rhemensem cum Galliæ episcopis huic evocationi restitisse. Fatetur, totum id pendere a præjudiciali illa quæstione, *cui claves Ecclesiæ primario, immediatius et perseveranter creditæ*

sint? aitque, nos Rom. Pontifici hoc jus afferendo identidem petere principium. Bene est : sed et Febronius suum semper petit principium, quando ubique supponit, Petrum et successores Rom. Pontifices suam potestatem et jurisdictionem, si quam habent, non immediate a Christo, sed ab Ecclesia accepisse; huic principio tanquam fundamento totam fabricam superstruit. Nobis sufficit, hoc Febronii principium tanquam falsum, et in Richerio damnatum c. 1 et seqq. demonstrasse, objectiones efficaciter diluisse, nostrumque principium, eidem contrarium non minus solide et convincenter probasse. Igitur jure illud supponimus, ut jam probatum, et a contrariis argumentis evictum, atque inde prodeuntes conclusiones optime depromimus. Viderint interim illi, qui Febronii sequelas et opiniones sibi in multis adoptant, et plausibiliter defendunt, ne cum eodem illud principium Richerianum tandem admittere, ac profiteri cogantur.

Advertit nonnemo, nec incongrue, per hoc, quod caussæ appellantium ad Papam, non Romæ, sed per commissarios a Papa missos, vel in provincia delegatos, ibi judicari statutum fuerit, non modum ipsi juri, sed exercitio juris poni, quia nempe necessaria caussæ sic commodius instrui et tractari poterant: verumtamen hanc praxin hodiernis temporibus magis optandam, quam in usum reducendam esse, multo minus antiquæ disciplinæ congruere, quod hodie quidam appel-

lationes ad solos archi-episcopos vel metropolitas trahi velint, cum tamen canones clare pro proximo tribunali statuant concilia provincialia, et ad primates in tantum deferri velint, ut in his decidantur. Antiquis temporibus, statutis annis in synodo conveniebant episcopi, in qua ut plurimum vicarius apostolicæ sedis pro illa regione constitutus, vel etiam legatus aderat, aut specialiter ad eam deputabatur, si non commissio uni ex præsentibus episcopis data fuit, ubi etiam caussæ, quando ad sedem Romanam appellatum fuit, examinabantur, sicque commodius sine magno dispendio et impensis tractari poterant. Nostro ævo episcopi in synodis non amplius conveniunt. Hujus rei caussas retuli ex Amort. c. 3, § 9. Nec certe, præcipue in Germania, ubi latius diffusæ diœceses, et ditionibus potentes sunt episcopi, multis insuper curis ac negotiis distenti, ad audiendas appellationes privatorum, horumque dissidia componenda convenirent, aut convenire possent: et si convenirent, id absque dispendio et impensis longe majoribus tum episcoporum, tum appellantium, quam si caussæ Romæ tractarentur, fieri haud posset. Quod si vero episcopi ad has caussas tractandas suos ministros et consiliarios ablegarent, quantumvis ecclesiasticos, neque sic sumptibus parceretur, et nequaquam illa majestas veteris disciplinæ reduceretur, ubi ipsi episcopi præsentes aderant et judicabant, sed nec hujus umbra amplius appareret, quia talis conventus non syno-

dus, sed potius forum appellandum foret. Addidit ille eruditione insignis, in multis altum clamari, aliis ad nauseam, Papæ ad invidiam: quod si tamen, adnitente etiam Rom. Pontifice, res ad antiquam disciplinam restituenda foret, eosdem qui modo clamant, vincula veteris disciplinæ nunquam subituros quin et maxime obstituros fore. Hæc ille. Fere similia alicubi habet Pallavicinus in hist. concil. Trident.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

RERUM TOMI SECUNDI.

A.

Africani episcopi in controversia appellationum ipsa auctoritate sedis apostolicæ nitebantur 317. — eidem jus appellationes recipiendi neutiquam negabant. 321, 322 etc.

Agathonis I, P. testimonium contra Febronium 180.

Appellationum Romanarum exempla ex veteri Ecclesia. 303, 309.

Apiarii presbyteri appellatio ad sedem Romanam. 318.

B.

Barthelius contra Febronium. 197, 228.

Bonifacius I caussas majores reservat. 11.

Bossuet Gelasium I inepte interpretatur. 111. — eundem male sugillat. 162. — Zosimum I, magniloquentiæ arguit. 162.

C.

Caussæ majores ex traditione apostolica sedi apostolicæ reservantur. 5, 6. — imo auctoritate divina. 11, 15. — nituntur testimoniis veterum Pontificum. 8, 13. — harum reservatio ad primatum divinum pertinet. 14. — hujus reservationis necessitas. 18.

Coadjutoriæ cur reservatæ 74.

Concilia summam auctoritatem a Papa obtinent. 44.

Concilium Chalcedon. confirmationem petiit a S. Leone P. 250.

Concilium Florentinum vere œcumenicum. 261.

Concilium Lateran. IV, Papæ non tribuit jus dispensandi. 285.

Confirmatio electionum originarie ad primatum pertinent. 53, 58.

Cyprianus judicium Rom. sedis exquirit. 47.

D.

Dispensationum reservatio juribus episcoporum non derogat. 282, 285 etc.

Depositionum episcoporum exempla. 98, 245, 247. — Reservatio. 83, 112, 113.

E.

Episcopi Gallicani in caussis fidei Rom. Pontifici summam auctoritatem tribuunt. 36, 41, 42. — a Nicolao I, reservationem depositionis flagitant. 111. — eorum libertatibus non adversatur hæc reservatio. 113.

Episcopis primis tribus sæculis non dispensabant in legibus communibus. 278, 279. — tale jus per se non habent. 280, 282, 286.

Episcoporum depositio absque interventu Rom. sedis fieri non debet. 90 etc. — Depositionum exempla. 98 etc. 245, 247.

Episcopatuum novorum erectio ad primatum Rom. Pontificis pertinet. 116 etc.

F.

Febronii falsitates 5, 30, 33, 38, 44, 139, 153, 154, 180, 242, 250. — ejus contradictiones. 10, 26, 29, 30, 33, 37, 99, 152, 155, 167, 168, 179, 201, 208, 273, 332. — Gregorium M. adversantem habet. 39. — eundem criminatur. 265. — propriis exemplis ac testimoniis refellitur. 57. — concilium Tridentinum temere in suspicionem trahit. 107. — Nicolaum I, falso accusat. 112.—indigne sedem apostolicam cavillatur. 114.—D. Bernardum truncavit. 141. — S. Leonem perperam arguit. 153, 250. — Gelasii I, textum truncat. 157. — eundem carpit. 162. — ab S. Agathone P. revincitur. 180. — textum Lucæ 22. falso interpretatur 183. — Innocentium I, falsitatis arguit. 194. — ejus principium schismaticum. 195, 228. — Barthelium truncavit. 198. — toti antiquitati adversatur. 200. — haud fideliter allegat concilium Trident. 224, 261. — a concilio Ephesino falsi convincitur. 242, 245. etc. — pariter a concilio Lateran. 253. — et Florentino. 262. — veteres sanctos Pontifices injuriis proscindit. 266 etc. — seipsum refellit. 275. — immerito sugillat Benedictum XIV. 298. — canones Sardicenses inepte interpretatur. 304. —appellationes Romanas imprudenter impugnat. 315.

G.

Galli quidam motu et vindicta Richelii Card. de erigendo patriarchatu cogitant. 142. — concilium Florentinum aliquandiu pro œcumenico non habent. 261.

Gelasii I auctoritas Febronium prosternit. 156.

Gerson contra Febronium. 27, 28, 182. — sibi contrarius 219. — auctoritati Rom. Pontificis infensus. 220. — schismati favens. ibid. — ab universitate Parisiensi multatus 221.

Gregorius M. caussas fidei sibi reservat. 32, 39. — contra Febronium sui ipsius defensor. 266.

H.

Hilarius I, caussas majores reservat. 13.

Hincmari Rhemens. ambitus. 9. — exemptionem ac privilegium a Nicolao I impetravit. ibid. — supra concilia Rom. Pontifici summam auctoritatem tribuit. 44. — ex eo aliorum episcoporum mens interpretanda non est. 112.

I.

Innocentius I, caussas majores reservat. 5. — a Febronio falsitatis arguitur 194.

Julius I, caussas majores reservat. 5.

L.

Leo I, caussas majores reservat. 12. — a Febronio male habetur. 146, 153, 250. — confirmat concilium Chalcedon. 250.

Libertates Gallicanæ tempore Leonis M. non obtendebantur contra ordinationes Rom. Pontificis. 154.

M.

De Marca Petri retractatio. 110. — ejus interpretatio inepta et fabulosa. 257.
Metropolitanorum institutio. 135.

N.

Nicolaus I non innovavit. 109.

P.

Patriarchæ confirmabant electiones episcoporum. 58. — horum auctoritas et potestas a Petro descendit. 65. — veri et primævi qui sint? 124, 130.
Pontifex quo sensu infallibilis dicatur? 168 etc. — ejus suprema jurisdictio in concilio Ephesino agnita. 245, 247. — pariter in concilio Chalced. 248, 252. — in concilio Lateran. 253. — leges ferre potest pro universa Ecclesia. 275. — ipse communibus Ecclesiæ legibus adstringitur. 274. — in his dispensandi jus habet. 279, 285. — habet plenitudinem potestatis, et quid hæc sit? 283. — nunquam sine rationabili caussa dispensat. 287.

R.

Richelius Card. Urbano VIII infensus. 142. — prohibet expeditiones Romanas, pecunias Romam mitti, solvi annatas, livore ductus. 143. — vult patriarcha creari. ibid.

S.

Sixtus III, caussas majores reservat. 12.

T.

Thomassinus synodis provincialibus summam auctoritatem a Papa tribui agnoscit. 44. — reservationem translationis episcoporum defendit. 76.
Translationes episcoporum reservatæ 76.

V.

Vigilius I caussas majores reservat. 13, 32.

Z.

Zosimus I caussas majores reservat. 12

FINIS INDICIS RERUM.



213.2
Z 12
20191
Zaccaria, F.A., S.J.
AUTHOR
Anti-Fabronius Vol. 2
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBBL
20191